



12009

N<sup>o</sup> 33

1680, 41

2457

12

DE  
DIVISIONE  
ECCLESIARVM  
ET  
BENEFICIORVM

DISSERTATIONEM SECUNDAM

*Diuinis auspiciis & permisso Su-  
periorum*

P R A E S I D E

I. PHILIPPO SLEVOGTIO

D. Illustr. Regim. Ienens. Aduocato  
Ordinario,

*publice defendet*

CHRISTIAN FRIDERIC LAVHN,  
N V M B V R G.

*Ad d. Augusti cl<sup>o</sup> Isc LXXX.*



I E N A E

Excudebat Io. NISIUS.

26

8





2455

NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO  
ATQVE  
AMPLISSIMO

VIRO  
GODEFRIDO GRAEVIO  
I. C.  
POLIGRAPHO, INCLVTAE, REIP.  
LIPS. PRIMARIO, SPECTA-  
TISSIMO

AVUNCULO ET PATRONO  
SVO VENERANDISSIMO

DISSERTATIONEM, HANC

dedicat

CHRISTIANVS FRIDERICVS LAVHN.





2437  
1751

SS(41)SS



DE  
D I V I S I O N E  
E C C L E S I A R V M  
ET  
B E N E F I C I O R V M

Dissertatio II.

*Ius diuidendi competit illis qui ecclesiasticam iurisdictionem habent, id est, summæ in republ. potestati. Dissentiunt Pontificii. Petri de Marca sententia, & de ea iudicium.*



Vantum ad eos, qui ius diuidendi exercent, pertinet, quum ecclesiastica iurisdictione, quam Pontificii *Episcopalem* appellant, instructi esse debeant, satis patet, quidnam principibus ac supremæ potestati cuiusuis reip. licere in tali negotio possit aut debeat. Ac luculenter comprobant tot insignia diuisarum non parœciarum modo, seu episcopatum, sed prouinciarum pariter exempla, quantum  
F sibi





2480.

sibi priscis temporibus imperatores Orientis licere crediderint. Neque tum reperti vnquam, qui de iure controuersiam imperatoribus mouissent; quum potius consensu totius Græciæ ipsis adiudicaretur. Testantur porro monumenta historiarum, in Occidente iuxta idem potestatis vsurpatum a principibus fuisse, donec gliscente Romanorum episcoporum auctoritate atque vi, paulatim Curia illud ius, vt tota ecclesiastica potestas, vindicaretur.

Cæterum nullo non tempore fuere, qui iura sua imperatoribus assererent, ac Romanæ sedis defensores falsi conuincere niterentur. Ostendere etiam inuictis argumentis, primariam auctoritatem in constituendis episcopatibus, ex qua facultate ius diuidendi promanat, non Concilio aut Pontifici; sed summæ in rep. potestati competere; & synodum, quæ ecclesiæ vicem explet, eoduntaxat iure gaudere, ne semet inconsulta atque inuita status ecclesiasticus ordinetur aut mutetur. Quemadmodum in ciuilibus negotiis videmus, principi quidem ius fasque esse, vt de iis pro auctoritate & imperio constituat, non libere tamen vbique ac pro arbitrio, sed accedente demum statuum prouincialium in rebus magni momenti consensu. Quorum maxime refert, ne quidquam temere inducatur contra mores, consuetudines ac iura vetera. At Pontificii peruersum tentant ordinem, & relicto principibus solo consensus interponendi iure, ecclesiæ, hoc est, non membro eius potiori, sed vel conciliis, vel potius vni præfuli Romano, primariam potestatem tam in sectione, quam vnione & constitutione episcopatum addicunt.

In iis, qui pro conciliis ac pontificibus acriter  
stete-





steterunt, nouissime emittit Petri de Marca, archiepi-  
scopi Parisiensis ingenium : qui doctissimo opere de  
Concordia sacerdotii & imperii, multis exemplis euin-  
cere laborat, principibus in constitutione ac diuisione  
ecclesiarum, præcipue vero episcopatum, præter ius  
consentiendi nihil omnino tribui debere. Sententiam  
hanc communem vocat vniuersalis ecclesiæ, & M. An-  
tonium de Dominis, itemque alios eum sequentes, fœ-  
dæ in principes adulationis accusat, quod institutionem  
episcopatum, sicque diuisionem pariter, regibus seu  
summæ potestati in rep. perperam & contra mentem,  
sacrorum canonum attribuant.

Sed quisquis penitus expenderit, quæ adduci pro  
nostra sententia queunt, & cogitauerit iuxta, quam il-  
lustre, quamque profunda eruditione instructum fuerit  
Marcæ ingenium; vt non potuerit non in re tam clara,  
tam manifesta, verum peruidere: facile adducetur, vt  
credat, non nisi animi causa & studio partium, vtque  
nouum aduersariis negotium facesseret, *ipso modo* eum  
hoc loco noluisse. Quamquam vero tam magnifice de  
studiis nostris haud sentimus, vt speremus dignos fore  
conatus istos, qui principi olim eruditorum semet op-  
ponant: merebimur tamen apud ingenuos & veri studi-  
osos veniam, si modeste saluaque tanti nominis reue-  
rentia, tentare pugnam & manus manibus immiscere  
audebimus: nulla obtrectandi libidine; sed amore ve-  
ritatis & exercendi iudicii gratia, vtque aduersarii ma-  
gnitudine nos etiam leuare animum, & maiores capere  
spiritus valeamus. Cogemur vero subinde quædam adse-  
rere de iure constituendi episcopatus, quod diuisio non  
aliter fieri solet, quam per constitutionem nouorum e-  
piscopatum.





2462

*Generalia argumenta proponuntur pro principibus & obiectiōibus respondetur. Etiam causse mere spirituales determinari nequeunt sine principis auctoritate.*

Primum igitur omnium satis erit verbo monuisse, quod nostrates dudum clarissima in luce posuerunt, summæ cuius in republica potestati fas esse, ut accedente synodi aut consistorii sacri consensu, vi imperii sui ac maiestatis in ecclesia constituat, quidquid ad externam eius ordinationem pertinet. Episcopatum autem nouorum institutionem & sectionem veterum, multoque magis parœciarum diuisionem, externæ ordinationis negotium esse, infitari nemo potest, qui agi heic de finibus cuiusque ecclesiæ, deque dignitate & iuribus ministerii cogitauerit. Quod si regeratur, diuulso episcopatu, ius ordinandi auferri ac nouo episcopo concedi; ordinationem autem spiritale ac sacerdotale munus esse: facile noscetur, confundi ordinationem cum iure ordinandi, & concessionem iuris cum eiusdem exercitio. Non est sane principis (concedamus enim id tantisper, quando disputatio ista ad institutum nostrum nihil pertinet) peragere sacra munia & sacerdotis partibus fungi: sicuti infra maiestatem imperantis fuerit, doctoris sumere personam atque ex cathedra ad circumfusam pubem verba facere. Quis vero hinc contendat, in manu eiusdem positum non esse, ut facultatem docendi publice, ut ius ac potestatem sacraministrandi aliis impertiat?

Deprehendas vero nonnullos, qui licet concedant





2463

dant, fines diocesium & redditus ecclesiarum subiectos principum imperio esse, cum Marca tamen contendat, iura ordinationum huic illive ecclesie assignandarum, ad solam ecclesiasticam iurisdictionem spectare. Verum hisce vtraque manu largimur, quod hactenus asseruat: negamus autem, iurisdictionem ecclesiasticam, quamdiu externum duntaxat ordinem contingit; non doctrinam fidei; alii quam principi deberi. Neque mouemur decreto concilii Chalcedonensis, in causa de episcopatibus nouis ac sectione veterum generatim definentis, vt rescripta omnia tollerentur, quae in detrimentum canonum facta essent, vtve canones vim suam omnino retinerent. Ex quo quidem conficere laborant aliqui, in causis mere ecclesiasticis solam canonum auctoritatem valere, neque fas principi esse, quidquam de iis constituere. At meminisse oportebat, non synodum, sed petente Cecropio episcopo ac synodo tota, iudices nomine Marciani lege istud fanciuisse.

Deinde notari etiam meretur, quaecunque contra conciliorum decreta & canones inducuntur a principibus, non ea propter effectum carere, quod nihil pertineat summam ad potestatem eiusmodi rerum cura; sed quia placuit principi, ne canones; hoc est, leges suae, rescriptis postea emissis temere infringerentur. Quod enim synodorum decreta vim legum obtinent, approbationi principis ac confirmationi debetur. Qui si constituat porro, nulla deinceps rescripta admitti debere contra has leges: quid aliud obsecro facit, quam quod passim videmus ciuilibus in negotiis fieri? Neutiquam ergo ex efficacia rescripti cessante, ipsum ius de talibus rebus constituendi negandum est.

F 3

Quid





Quid quod caussarum etiam mere spiritualium determinatio sine principis auctoritate nullius in republica momenti est, quantumvis concilia in cognoscendo ac ferenda sententia iure maiori gaudeant. Elucet hoc ipsum ex Chalcedonensi synodo, quum de episcopis a metropolitano Photio ordinatis, sed ab Eustathio Berytensi episcopo ad presbyteratum reiectis, dubitatio incidere: vtrum nimirum iure eos deturbasset Eustathius, an potius in numero episcoporum, quandoquidem semel imposita manu recepti in ordinem illum essent, etiamnum censeri deberent? Tum quidem iudices Marciani non audebant ipsi pronunciare sententiam: quod synodi potissimum esset de caussis hisce *πλείω* *decernere ac definire*. At nomine tamen atque auctoritate imperatoris & proponebant initio rem omnem, synodi iudicium exposcentes; & sequenti mox decreto vim ac robur legis confirmatione sua addebant. Quæ quantum a nudo consentiendi iure discrepent, facile apparet.

§§(3)§§

*Specialia argumenta ex concilio Chalcedonensi  
petita. De Hierosolymitano episcopo.  
De Berytensi. L. XII, C. de Sacrosan-  
ctis ecclesiis & can. XII concilii Chalce-  
donensis expenduntur.*

Vt propius ad nostrum argumentum accedamus, ex actione VII laudati concilii luculentum imperatoriae potestatis documentum capere licet. Agebatur controuersia inter Iuuenalem Hierosolymitanum & Maximum Antiochenum episcopum, de prouinciis quibus-  
dam



2463

dam quas Antiochenus sibi vindicatum ibat. Initio igitur referunt magistratus, rogatu Maximi & Iuuenalis causæ cognitionem ab imperatore sibi demandatam esse, litemque ab episcopis transactione compositam: quæ quum plena æquitatis sit, omnino eam mereri, vt communi synodi decreto confirmetur. Et hactenus magistratus imperatoris nomine soli omnia peragebant: quamuis non de finibus modo diocesium, sed de iuribus quoque ordinationum tractaretur. Quum synodus consensisset in transactionem, & sententia suam eam approbasset, tum iudices demum decreto firmabant eandem; vt nullum synodi officium ac ius in negotio isto fuisse videamus, quam sententiæ interponendæ. Notatu etiam dignum est, per rescripta principum antea Hierosolymitano addictas fuisse tres Palæstinas, duas Phœnicas atque Arabiam: & illorum reuerentia haud dubie ad transigendum compellebatur Antiochenus. Neque in concilio de iure principali quidquam controuersię mouebatur. Hinc adeo miror, Marcam exemplo hoc vti, vt foedæ adulationis in principes accusare alios queat.

Sed aliud multo adhuc luculentius argumentum principalis potestatis præbet idem concilium in causa Photii atque Eustathii episcoporum: de quibus sæpe iam verba fecimus. Theodosius iunior, imperator, Phœniciam primam qua statum ecclesiasticum duntaxat (vt clare docuimus) diuiserat, Anatolio Constantinopolitano episcopo & cæteris synodi Constantinopolitanæ patribus adeo non inuitis aut repugnantibus, vt excommunicatione etiam compellerent Photium ne reluctari amplius synodi decreto auderet. **Credas autem factu-**

**ros**



2466

ros id fuisse patres, si alienam in messem, hoc est, aliena in iura, falcem misisset Theodosius? Euecto postea ad culmen rerum Marciano, & coacto Chalcedone concilio, non patres adibat Photius de rescripto Theodosii abolendo, sed imperatorem ipsum etiam atque etiam exorabat, ut causam suam retractari & expediri in concilio iuberet. Ac solenne hoc priscis temporibus erat, ut episcopi se iuraque sua defensuri aut vindicaturi non synodos earumve praesides directo adirent, sed a principibus primum expeterent opem atque auxilium, synodis vero cognitionem causae mandari rogarent. Quod satis testantur exempla Eusebii Dorylensis, Eunomii Nicomediensis & Sabiniani Proculorum episcopi, actione I, XIII ac XIV concilii Chalcedonensis. Perinde propemodum ut olim non apud pedaneos iudices, sed apud praetorem in iudicio agebatur: qui postea iudicem litigantibus cum formula dabat. Nolim tamen comparationem hanc ad caetera proferri.

Satisfactorius Marcianus Photii precibus, formulam patribus constituebat, secundum quam in controversia illa ius dicerent: ut nempe non ex legibus suis, siue rescriptis eam definirent, sed ex canonibus, quos approbando confirmandoque vim legum obtinere imperatores iusserant. Ex quibus satis aperte colligitur, non synodalis arbitrii, sed imperatorii iudicii fuisse, vtrum ex rescriptis an ex canonibus decidi Photii causa deberet. Patres cognita imperatoris voluntate, quum diligentissime canones expendissent, nihil pronunciant aliud, quam vi atque ex mente illorum Tyrensi metropolitano, quia antiquior erat, pristina iura restituenda & conseruanda integra esse. Rescriptum vero principis





2467  
301

pis nemo eorum sustinuit reiicere. Sed quum Marcianus ipse reuocasset ea conditione, si canones ab imperatoribus publice approbatos impugnaret atque euerteret; iudices postea non ex sententia synodi, sed principis sui decernunt, quandoquidem rescriptum Theodosianum, canonibus aduersaretur, vim deinceps nullam habiturum, & Tyrensi episcopo iura omnia redditum iri.

Finge iam ab se nullius momenti fuisse rescriptum principis, quod ei fas non esset saltem qua ordinationum iura quidquam in diocesisibus innouandi: cur ergo ipsa synodus Photium non restituebat in integrum? cur a iudicibus Marciani & initium fieri iudicii, & finem eidem imponi permittit? cur demum reuocari & tolli e medio rescriptum debet antequam depelli Eustathius ex noua possessione & vetera iura Tyrensis metropolitanus recuperare potest? Alterum igitur hoc argumentum est, quod contra Marciam firmis, vt opinor, talis fultum perstabit.

Aduertamus porro ad cætera, quæ sequuta fuere, animum. Postquam scilicet ista pronunciaissent iudices, generali definitione constituebatur, canones posthac perpetuum robur habituros, & rescripta omnia, in canonum detrimentum facta, τὰ ἐπὶ βλαβῇ τῶν κανόνων πραγματικὰ περὶ τὸ πρῶτον ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ, sublata eo ipso censeferi debere. Idque sic statuebatur, non decernente ac iubente, sed petente saltem Cecropio patriarcha, totaque cum eo synodo. Ex quo quidem conficitur, nisi iudices rescripta hoc pacto declarassent irrita, omnino vim ac robur aliquod fuisse habitura.

Quod porro diserte ponitur, haud valitura pragmatica sacra, si in fraudem canonum data sint; ita in-

G

telli-





2408

50 DISSERTATIO II DE DIVISIONE

telligamus oportet, ut neutiquam ad cuiusvis generis rescripta, quibus de rebus ecclesiasticis & diuisione diocesium agitur, sententia illa iudicium spectet. Et in promptu habemus verissimum eius interpretem, Marcianum ipsum imperatorem. Is lege XII, §. I. C. de Sacrosanct. eccles. aperte ita constituit: *Omnes sane pragmaticas sanctiones, quae contra canones ecclesiasticos INTERVENTU GRATIAE VEL AMBITIONIS ELICITAE SVNT, robore suo & firmitate vacuatas cessare precipimus.* Haud dubie respexerunt ad talem legem patres concilii Chalcedonensis, sed non integram produxere. Quum enim iterum a iudicibus interpellarentur, utrum fas sit καὶ θεῖον πραγματικὸν ἀλλοτείας ἐκκλησιαστικῆς δικαῖα ἐπίρας ὑπιστάσθαι, ut per pragmaticum sacrum aliena ecclesiae iura ab aliis episcopis euertantur: respondent illi, referente etiam Nicolao patriarcha: οὐκ ἔστι τῶν. ὡς καὶ οὐ κανόνες εἰσίν. ἐστὶ δὲ καὶ νόμος ὁ τῶν βασιλέων, ἔτιω διεξιῶν οἱ τοῖς κανόσιν ἐναντιόμενοι πραγματικοὶ τόποι, ἄνυροι εἰσίν. *Est etiam lex quae hoc ipsum vult, his verbis exposita: Pragmaticae sanctiones quae canonibus aduersantur, irritae sunt.* Sed omnino lex illa ex laudata Marciani constitutione explicanda est.

Hæc iam componatur cum ambitiosis Eustathii ausis, & canone XII Chalcedonensis concilii, ambitum episcoporum damnante: nemo non perspiciet, vera esse quæ affirmavi. Illud autem ex Marciani rescripto firmiter sequitur, quæcunque sanctiones pragmaticæ nec gratiæ nec ambitionis interuentu elicitaæ sunt; sed publicatæ proprio motu iustaque ex causa; tametsi repugnent canonibus ecclesiasticis: neutiquam irritas & sine viribus fore. Fingamus tamen, simpliciter rescripta & sanctiones

ones





ones omnes, canonibus inimicas, irritas atque cassas a iudicibus pronunciatas fuisse: quid inde synodo auctoritatis conciliabitur? Quis valide hinc colligat, sententia illa confiteri iudices, in diuidendis dioccesibus ac prouinciis nihil principi præter consentiendi potestatem relinqui?

Sed properandum est ad reliqua synodi nostræ, & quidem ad canonem XII. In eo notari meretur minime de iure principis quidquam decerni, nec concilio aut pontificibus etiam vel tacite saltem vindicari diuidendi facultatem; sed prohiberi duntaxat episcopos, ne foeda abrepti ambitione prouincias per rescripta seu litteras imperiales dissecari faciant. Quod ut credamus singulari quadam vel modestia vel prudentia patrum factum fuisse, non quia satis nossent principi ius diuidendi diocceses ac prouincias competere: nulla induci ratione possumus. Neque tam liberales de suo vnquam fuere vel synodi vel pontifices, ut principibus occasionem vllam præberi paterentur, qua iura & potestatem suam imminuerent.

Ad quid porro vetent episcopis, ne dissecent prouincias per imperatorum rescripta, si per se carent effectu omni, neque imperatoriæ potestatis pars est, aut limites ecclesiis ponere, aut iura quoque ordinationum episcopis vel auferre vel impertiri & amplificare? Cur solum interdicti sui hanc rationem afferunt, repugnare contra canones, ut metropolitani duo, iuribus ordinationum gaudentes, in prouincia vna reperiantur? Cur tantummodo cauent tam sedulo, ne hierarchia confundatur; & confitentur tacite, si absque perturbatione illius fieri queat, cessetque turpis gratia & ambitus, causam non





2070

esse cur metropolitana iura & dignitatem conferri episcopis posse negent? Fiet autem hoc, prouincia non qua ecclesiasticum duntaxat statum, sed qua ciuilem etiam dissecta. Ergo tunc causam non dicunt, quo minus nouæ metropolis episcopus iura omnia consequatur; vt canone etiam septimo ac decimo satis aperte testantur. At quoties indiuulsa in ciuilibus rebus permanebat ecclesia, nouæ metropoleos episcopum solo nominis honore & dignitatis prærogatiua gaudere volunt: ne scilicet violentur sacri canones, qui vetant in vna ciuili prouincia episcopos duos iura metropolitana exercere.

Hactenus ergo nihil ex concilio Chalcedonensi colligere licuit, quo principibus iura diœceses ac prouincias diffecandi denegarentur. Illud saltem definitum fuit, contra canones nihil valere pragmaticum sacrum, nec licere ambitiosis episcopis per illud alienæ iura ecclesiæ rapere. Fundamentum autem huius decreti fuere tum canones, sua singulis episcopis iura asserentes; tum expressa lex etiam, qua pragmaticas canonibus contrarias vim nullam habituras constituitur. Canonem porro XII concilii de potestate principum non disputare, nec eam infringere, peculiari sanctione Alexius Comnenus imperator docuit: quæ infra ex Balsamone, in quantum eam posteritati seruauit, producetur.

§§(4)§§

*Nouum argumentum ex canone XVII concilii Chalcedonensis. Zonara & Balsamoni explicatio. P. de Marca noua sententia. Ea luculentius explicatur.*

Nouum pro imperatoriis iuribus argumentum inde nobis





nobis suppeditatur, quod status olim ecclesiasticus ciuilem fere semper sequebatur, & ciuitate aliqua ad sublimius honorum culmen prouecta, eiusdem ecclesia pariter atque episcopus æquali dignitatie perfruebantur; distracta autem diœcesi vel prouincia ciuili, & diuersis rectoribus subiecta, ecclesiasticum itidem regimen metropolitanis distinctis committebatur. Nolo iam adducendis exemplis & testimoniis tempus terere; quum a libi opportunior iis locus futurus sit: saltem canones laudati XII ac XVII concilii Chalcedonensis, vt indicauimus supra, luculento satis documento sunt. Quin de dignitate sola canon duodecimus loquatur, nulla ambigendi ratio est: de sectione autem canonem septimum, ac decimum, cuius extrema pars canone XXXVIII synodi VI in Trullo repetitur, rectissime omnino interpretabimur. Verba Græca canonis sunt: εἰ ἢ καὶ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκμανίθη πόλις, ἢ αὐθις κμανίθει, τοῖς πολιτικῶν καὶ δημοσίων τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἢ ἑξίς ἀκολοθεῖτω. Hæc Dionysius Exiguus ita vertit: *Si qua uero ciuitas potestate imperiali nouata est, aut si protenus (melius reddidisset posthac) innouetur, ciuiles dispositiones & publicas ecclesiasticarum quoque parœciarum ordines subsequantur.*

Ex hisce arguunt veteres, principi fas esse, tum vt dignitatem conferat ecclesiis, tum vt limites quoque iurisdictionis episcopalis constringat dilatetue. Ioannes Zonaras, referente ipso Marca, commentariis ad can. XXXVIII synodi VI in Trullo eam exinde principibus auctoritatem vindicauit, vt si quam ciuitatem de nouo excitarent (ita enim τὸ κμανίθει interpretatur) eique decus episcopatus aut metropoleos adderent, ecclesia quo-





54

DISSERTATIO II DE DIVISIONE

que publici status consequa foret. *Καινίζουσι*, inquit, πόλεις οἱ βασιλεῖς, ἀντὶ τοῦ, νέας ἀνεγείρουσι, καὶ τιμῶσιν αὐτὰς εἰς ἐπισκοπὰς (ut episcopatus iure gaudeant) ἢ καὶ μητροπόλεις τυχὲν διὰ προσαγμάτων ἐνγραφῶν. Hoc autem sibi voluisse videtur Zonaras : Si ciuitas noua condatur, simulque accipiat ius episcopatus aut metropoleos, fines territorii episcopalis ex ciuitatis territorio æstimandos esse, ut etiam in alienas parœcias (de his enim quærebatur a patribus) porrigere episcopus nouus iurisdictionem ac potestatem suam possit, quousque ciuitatis ipsius fines proferuntur. Quo casu omnino sequitur parœciarum ecclesiasticarum ordo τῶν πρὸς τοὺς πολιτικὰς καὶ δημοσίας, respectu puta iurisdictionis seu territorii ciuitatis.

Theodorus Balsamo, quamquam ex Archiepiscopi mente parum modeste, communem Græcorum sententiam sequutus, simpliciter hinc adiudicat principibus potestatem episcopatus ac metropoles, deque eorum iure constituendi. Verba eius ad can. XVII concilii Chalcedonensis hæc sunt. *Apparet hinc posse imperatorem in iis quæ a se innouata sunt, vel innouabuntur, ciuitatibus, pro episcopalibus iuribus statuere, quæ voluerit.* Ad canonem XXXVIII synodi VI in Trullo ita commentatur. *Quoniam can. XVII concilii Chalcedonensis, & can. XXXVIII synodi VI in Trullo statuit, eas quæ imperatoris factò excitatæ sunt ciuitates, vel etiam excitandæ sunt, ab ecclesiis quoque honorari, sicut imperiale iussum descripserit: id est, ut ipse habeant episcopalem dignitatem vel metropolitanam (oportet enim ecclesiasticum ordinem ciuiles & publicos typos, seu, ut ὡς ἀποφασίως loco addit, imperatoris iussa sequi) dicimus, quod etiam a presenti canone imperatori datum est, episcopatus novos facere & in iura*  
me-



*metropolitanorum erigere, & de eorum electione aliaque administratione, prout ei visum fuerit, statuere.*

Attamen Parisiensis Archiepiscopus in concilio Chalcedonensi præcipuum causæ suæ firmamentum ponens, nouo canonis XVII interpretamento sententiam hanc plane euersum iuit. Eo enim tantummodo cautum ait videri, si urbem aliquam de nouo conderet princeps, ad cuius conuentum & iurisdictionem pagos aliquos adiungeret, a vicina ciuitate auulsos; vt tunc ciuili formæ ecclesiasticus ordo sese accommodaret, adeoque remota XXX annorum vel longioris temporis præscriptione, pagi vicino episcopo ablati, illi tribuerentur episcopo, in cuius parœcia vrbs noua sita esset. Vnde consequi porro affirmat, vt episcopus parœciæ, in qua condita vrbs esset, pagos vicino episcopatu ereptos & territorio nouæ ciuitatis assignatos, vindicare possit, tametsi rationem antiquæ possessionis nullam habeat. Quo ipso minime tamen principi potestas concedatur, nouum rescripto suo episcopatum instituendi: nedum, vt quasuis ad vrbes metropoleos honore decoratas, ad prouinciarum sectiones ac metropolitana iura, canonem istum porrigamus. Negat etiam ad canonem duodecimum quidquam eum pertinere. Tandem largitur, ex Zonaræ mente ad synodum VI in Trullo, posse illum de episcopatu intelligi, sed quem synodus instituere debeat in vrbe de nouo condita. Vt eo pacto non principi, verum concilio potestas constituendi episcopatus adscribatur.

Hanc Archiepiscopi explicationem fatemur non plane nihil ex vero habere, adeoque ea ratione fallere incautos posse. Nam hoc ipso canone XVII, de parœciis





ciis ἀγροικαῖς καὶ ἐγχωρίαις, siue quæ ruri & in vicis ac pagis sunt, agitur, quibus casibus liceat episcopo sibi iurisdictionem in illas asserere. Prior casus est, si per trecentium eas absque vi obtinentes sub dispensatione rexerunt; alter autem, si ciuitas aliqua potestate imperiali nouata fuerit, aut si protenus innouetur; hoc est, si de nouo condita fuerit. Ut vero alienæ parœciæ hoc prætextu subiici alicui queant, quod ecclesiasticus status æquari τοῖς πολιτικῶν καὶ δημοσίων τύποις debeat; non alius certe fingi casus potest, quam pagos seu vicos, in quibus ecclesiæ illæ, attributos ciuitatis nouæ territorio fuisse. Neque pro imperatoribus quidquam faciet, si verbum *innouata* non de vrbe recens condita capiamus, sed de mutatione status ciuilis in quacunque ciuitate. Quo pacto enim hinc colligamus, si ciuitas aliqua nouo, & fortassis metropoleos honore decorata fuerit, imperatori fas esse vt episcopatum eiusdem ad æquale dignitatis culmen prouehat? Nam ratio illa, quod synodus iubeat vt ecclesiasticus ciuitatis status ciuilem ac publicum veluti indiuisus comes sequatur, nihil efficit. Cur non ita potius interpretemur cum Marca, patres Chalcedonenses iubere, vt synodus ipsa in metropoli ciuitate nouum pariter ecclesiæ metropolitanum constituat. Cuius rei solida ratio non in iure ac potestate imperatoris, ciuitati suæ ciuile illud decus addentis, sed in consuetudine antiqua consistit, qua ecclesiæ faciem placuit ad imperii Romani effigiem simulari.

¶ (1) ¶

*Iam vero docemus, Marca interpretationem nobis nihil obstare. Quo iure ecclesia*

*ante*



2475

ante Constantini tempora ordinauerit sacra sua. Quod olim ecclesiasticus status ciuilem sequebatur, auctoritati principum, consuetudinem illam confirmantium, adscribi debet.

At enim uero, quantumuis largiamur, nullam aliam canonis mentem esse, quam quæ Archiepiscopo videtur; illud saltem exinde fuit, imperatores extruendo nouam urbem, eique vicinæ ciuitatis pagos aliquot assignando, efficere potuisse, ut imminuerentur veteris episcopi iura, & eiusdem parœciæ episcopo nouæ ciuitatis subiicerentur. Quo quidem tacite diuidendi potestas principibus asseritur: quod ea oritur ex iure alienandi ecclesias, & iurisdictionem episcoporum restringendi. Fortasse an respondebit Marca, alienationem non oriri præcise ex auulsione pagorum a territorio veteris ciuitatis, sed ex voluntate ac decreto synodi, quæ pro sua potestate ac iure constituat, ut ecclesiastica etiam iurisdictione discindatur, nouoque episcopo pars eius accrescat. Deinde porro Balsamonem ipsum fateri, per canonem hunc dari imperatori facultatem episcopatus nouos constituendi; & Alexium Comnenum diserte testari, ius illud sibi competere ex privilegio a diuinis canonibus dato.

Verum quis non videt, commode explicari Balsamonis & Comneni mentem, si hoc sibi voluisse dicas, sententia sua & canonibus declarasse sanctas synodos, optimo iure imperatoribus licere nouos instituere episcopatus, eoque ipso veteres diuellere. Nam priori argumento haud difficulter regeri potest, de eo disputari

H ma





maxime, vtrum tanta olim potestas conciliorum fuerit. Quumque hoc loco nihil diserte sibi arrogare sustineat Chalcedonensis synodus; quum ex alia parte contra concilia tot validissima argumenta suppetant; quum pro imperatoribus ac principibus vel sexcentæ, vt Romano more loquar, rationes pugnent: rectius vtique hanc canonis XVII dicemus sententiam esse. Si qua iurisdictionem ciuilem aliquid nouatum eat imperator, synodum haud repugnare, quo minus vetus consuetudo obseruetur, eademque regiminis ratio in ecclesiasticis etiam ineatur: episcopo scilicet nouæ ciuitatis in adiectos pagos episcopalia iura accipiente.

Vetus autem consuetudo illa, qua ecclesiarum status ciuilem reip. typum sequebatur, tametsi inde ab apostolorum ætate ad posteros propagata & conseruata à conciliis dicatur: minime tamen hisce propterea præcipuum aliquod ius attribuere potest. Largimur sane, iamdiu ante Christianos imperatores vsurpatum morem illum fuisse: sed iuxta nobis concedi debet, eum perinde vt alia a primis fidei nostræ doctoribus inducta valuisse, vt nempe vim maiorem non haberent, quam quæ nostra tempestate in sacris publice improbatis constitui solent. Ea enim priuatos tantum homines, doctores cuiusque sectæ, auctores habent, & consensu totius cœtus, citra auctoritatem principis recipiuntur, magnaue cura custodiuntur: neque inde colligere licet, principi nefas esse de sacris iisdem leges ferre & quædam ex antiquis ritibus seruare, mutare aut tollere, si vel maxime ad eiusdem religionis cultum postea animum applicet.

Quod igitur prisca ac gentiles imperatores non  
attre-



attrectarent negotia primæ ecclesiæ, solique apostoli & apostolici viri ea disponderent, minime factum putemus, quod excedere principis munus ac potestatem crederent, in ordinandis rebus sacris quidquam sibi arrogare; sed quod fictis numinibus operarentur cuncti, & aliqui etiam nomen omne Christianum auersarentur implacabili odio, ac vi summi in remp. imperii exterminatum abominanda sæuitia irent. At quum decursu temporis Constantinus ad castra Christianorum transiret, afflictorumque in eum diem sacrorum caput fieret ac defensor; eodem vtiq; iure illa regere imperio poterat, quo ipse & præcedentes imperatores gentilium etiam sacrorum curam habebant. Vnde rectissime Socrates in Historia, præmio libri V docuit, ex quo tempore imperatores Christiani esse cœperint, *ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa*. Christiani igitur imperatores, sicuti in ecclesia abolere iusta ex causa poterant, quæ priuatorum hominum consilio atque vsu fuerant recepta: ita quod retentus fuit mos antiquissimus, vt ecclesiastici regiminis forma ad ciuilem prouinciarum statum concinnaretur, suæ voluntati ac potestati merito assignabant. Perindeque sese ea res habet, ac si externas leges princeps recipiat in remp. suasque publica approbatione faciat. Quæ ab eo tempore non alia causa obstringunt ciues, quam quod publice a summa potestate inductæ confirmatæque sunt.

Vnde tandem qua præsentem disputationem illud conficitur: quia pependit ex voluntate principum, non illa temeraria quidem & liberrima; sed iusta atque ad consensum ecclesiæ restricta; vtrum vellent consuetudinem istam perseuerare: etiam concilii Chalcedo-





nensis & sequentium ævo, non indultui synodorum, verum voluntati principum adscribendum primario fuisse, ut status ecclesiasticus sequela esset τῶν πολιτικῶν καὶ δημοσιῶν τύπων. Quod autem tum Chalcedone, tum Constantinopoli in Trullo congregati patres singularibus decretis idem deinde fieri concedunt, declarationem saltem arguit iuris imperatorii, non ius ac potestatem pro imperio aliquid constituendi. Atque omnino confitemur, nefas esse in causis ecclesiasticis, si præcipue magni momenti fuerint, sententiam & consensum synodi a principe insuper haberi.


Ex utroque certe concilio non licet quidquam aduersus imperatores colligere. Nam ut synodum sextam in Trullo mittamus, quæ ex Chalcedonensi explicanda est: de eo præcipue controuertebatur, utrum fas episcopis esset, iurisdictionem ultra limites suæ parœciæ ad ἀγροικικὰς ἢ πὰς ἐγχωρίους alterius episcopi parœcias porrigere. Quod quum duobus casibus patres affirmassent, posterioris rationem, quæ veteri consuetudine nititur, illis verbis comprehendunt; τοῖς πολιτικαῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἢ πᾶσις ἀκροθάλω, *civilem & publicum statum parœcias sequi debere.* Non autem mouebatur tum principalis quæstio, utrum ecclesiasticus status imitari civilem, hocque nouato pariter immutari deberet; multo minus quærebatur, utrum potestas ecclesiasticum statum mutandi, & dilatandi vel constringendi iurisdictionem, conciliis competeret an imperatori. Itaque simpliciter concedit, nouata ciuitate etiam ecclesiastici regiminis ordinem sequi debere. Vtrum autem solo ex consensu id fiat, an vero ex potestate sua aliqua & imperio, nusquam innuit



2474

**ECCLESIARVM ET BENEFICIORVM. 61**

innuit: neque vel verbo indicatur, synodo iniungi, vt nouata ciuitate statum ecclesiasticum ad eius exemplum conformet. Quare aliunde petenda est dubitationis huius definitio. Quumque pro imperatoria in sacris potestate produci argumenta queant longe plurima, & satis a doctissimis viris ostensum fuerit, ecclesiam aut synodum præter ius consensus & sententiæ nihil olim habuisse atque habere posse: quo sensu Chalcedonenses patres canonem XVII accipi voluerint, luculenter iam, opinor, patebit.



*Canon XVII concilii Chalcedonensis non recte restringitur ad urbem de nouo conditam. Vera eius sententia. Cur de paræciis agat. Porrigitur ad prouincias & metropoles; item ad ius constituendi episcopatus. Conferitur cum canone XII, & alio exemplo ex eadem synodo illustratur.*

Hæc quidem regeri possunt ad Petri de Marca interpretationem, si vel maxime de noua duntaxat ciuitate canonem Chalcedonensem capiamus. Sed verius videtur, eum casum non præcise spectatum a patribus fuisse. Ad quid enim alias verba illa, *si ciuitas nouata fuerit*? Nouatio utique ponit aliquid, quod iam extiterit, & cui forma noua per mutationem reddatur. Quod autem de nouo conditur; quia antea non fuit, nec mutari neque nouari potest. Zonaras τὸ καινίζεν de vrbe recens construenda explicans, interpretis quidem partibus functus est, sed qui aberrare a vera concilii mente

H 3

potue-





potuerit. Et quamuis τὸ κεννίζαν referri possit ad veterem ciuitatem, ex cuius territorio pagi aliquot nouæ adiiciuntur; quæ hoc pacto recte nouari dicitur: nulla tamen excogitari causa potest, cur de casu ciuitatis recens conditæ capere duntaxat canonem oporteat. Illud igitur reliquum est, vt exempli saltem gratia eiusmodi casum a Zonara positum fuisse statuamus. Tu quisquis iudicio vales, expende quæ iam a nobis proferentur, & existima vtrum recta sit explicatio nostra.

Constitutum antea fuerat de episcopis, ne quis in alienam sibi prouinciam aut parœciam ius vllum arrogaret, nisi multis retro annis illud sine vi, nemine renitente exercuisset. Atque extat de prouinciis quidem expressus canon concilii Ephesini, octavus numero. Contingebat autem tempore concilii Chalcedonensis, vt episcopi ab aliis parœcias rusticanas, ἀγροικίας & ἐγχιώ-  
*είας*, vindicatum irent, etiamsi possessores iam præscriptione XXX annorum muniti essent. Quumque hi opponerent actoribus canones de præscriptione tractantes, illi contra de maioribus ac ciuitatum parœciis, non de vilibus ac ruralibus eos loqui contendebant: vti Balsamo rectissime obseruauit; quod alio pacto videri nequit, cur vi canonis Ephesini alienam prouinciam liceat longo tempore præscribere, non autem parœcias illas minutas. Concilium ergo ita definit controuersiam, vt ecclesiæ cuiusque (apud Balsamonem legitur *prouinciæ cuiusque*) parœciæ ἀγροικίαι ἢ ἐγχιώεροι, siue rurales sint ac parux, quæ & μονοικία appellantur, siue cœtu hominum maiore frequententur, in potestate episcoporum, constanter permaneant, qui eas semel possiderunt; si præcipue per triginta annos, & vi nulla accedente tenuerint.



**ECCLESIA RVM ET BENEFICIORVM. 63**

nuerint. καὶ μάλιστα, εἰ τετρακονταετη χρόνον παύσας ἀβιά-  
σως διακατέχοντες ὠκονίμωσαν. Subiicit deinde duas ex-  
ceptiones, quarum prior ius agendi apud synodum pro-  
uincia concedit, si nondum effluxerit praefiniti trecent-  
nii spatium, posterior de nouatione ciuitatis tractat.

Casum vero nouatae ciuitatis omnino pertinere,  
ad quaestionem de parœciis longo tempore possessis, v-  
trum eas eripere possessoribus liceat; nemo non vide-  
bit, qui saltem canonem inspexerit. Sicuti autem prior  
exceptio de parœciis intra trigessimum annum reuo-  
candis agit: ita hac posterior simpliciter casum po-  
nit, quo parœciae episcopo, in cuius manu ac potestate  
huc vsque fuerant, eripi possint, licet iam effluxerit  
tricennale temporis spatium, & siue quis antehac gaudi-  
us aliquo in eas iure, siue nullo fuerit. Quaestio est  
de episcopi iurisdictione in parœcias alienas: & facultas  
illam ad has proferendi tum conceditur, si ciuitas, in  
qua scilicet episcopus sedet, nouata fuerit.

Quid vero est nouare, καινίζειν? Si cum Zonara di-  
cas, intelligi constructionem nouae ciuitatis, cui ius e-  
piscopatus proprii aut in ciuilibus ius metropoleos tri-  
buatur: non satis video, qua ratione nouitas ciuitatis  
aut episcopatus, ad iurisdictionem episcopi adicere per  
se quidquam valeat. Sane si eadem vrbs noua decore-  
tur fastigio metropolitici nominis ac iuris, id est, si non  
subdatur alterius metropoleos iurisdictioni, sed ipsa  
veluti ἀντιπέφαλῶς suum sibi habeat praesidem: non  
nouitas vrbs, sed dignitas ac ius metropoleos efficiet, vt  
episcopus honore ac iuribus maioribus exornetur. Siue i-  
gitur fingamus nouam condi ecclesiam, collato in eandem  
iure episcopum habendi, siue ponamus iam extractam ci-  
uitatem





2482

64      *DISSERTATIO II DE DIVISIONE*

uitatem cum episcopatu suo, quantum ad præsentem, disputationem nihil opinor retulerit. Neque illo casu augebitur episcopi iurisdictio, si sola dignitas ciuitatis ad culmen sublimius prouecta fuerit. Nam canone XII concilii nostri diserte solus honor ac titulus episcopo conceditur.

Quare illud superest, vt nouationem ciuitatis accipiamus de territorio eius ac iurisditione: quæ fieri solet, quoties limites constituuntur ciuitatis, & vel noui plane ponuntur, vel proferuntur saltem aut coercentur. Item si ciuitas ad metropoliticæ dignitatis fastigium elata, rescindatur simul a territorio veteris metropoleos ac peculiari præsidii subiiciatur. Hic enim demum est typus vere *πλιμνός* ac vere *δημόσιος*, seu publicus. Hunc typum sequi solitam fuisse ecclesiam, tot documenta & exempla, etiam ante concilii Chalcedonensis æuum docuere. Confirmatur sententia nostra auctoritate synodi VI Constantinopolitanæ in Trullo habitæ, dum canone XXXVIII extrema verba canonis nostri XVII simpliciter repetit, reuulsa a prioribus, quæ canone quinto & vicesimo adduxerat. Amplectitur vero concilii decretum, non exprimendo de quali nouatione ciuitatis, & vtrum de sola adiectione aliquot pagorum ad recens conditam urbem, an vero de dignitate singulari, atque auulsione nouæ metropoleos certique tractus a veteri prouincia, intelligi velit.

Quoties ergo nouabatur ciuitas; hoc est, quoties vel nouæ ciuitati ponebantur limites iurisditionis, vel iam existentis territorium nunc amplificabatur, nunc intra arctiores redigebatur fines: episcopi etiam iurisdictio certos accipere limites debebat, & vel extendi la-  
tius





2483

ECCLESIA RVM ET BENEFICIORVM. 85

tius vel arctius constringi : quo casu sequebatur ἡ πρέξις τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ὅσῃ πολιτικῆς καὶ δημοσίης πό- πης. Nempe enim, quamvis episcopus aliquis longis- simo tempore possedisset certas parœcias ; quamvis ex- ceptione præscriptionis longe foret tutissimus : quam- primum tamen ciuitatis suæ minuebantur limites, ter- ritorio vicinæ ciuitatis in pagos illius aliquot adhuc pro- lato, eo ipso episcopus vicinus adipiscebatur iurisdic- tionem in paganas illas parœcias, quod episcopalis terri- torii fines sequebantur fines ipsius ciuitatis.

Ex quo si Marca fluere neget, imperatori fas esse vt ecclesiæ alicui episcopatus vel metropoleos iura con- cedat ; quanquam supra non pauca respondimus : viden- dum tamen porro erit, quo pacto tenebras, vt sic dicam, sententiæ nostræ depellamus. Illud fatemur inge- nue, non agi hic principaliter de aliis, quam de ruralibus & ἐγχωρείοις parœciis. Ac licet ponatur casus de ciuitate in metropolin erecta, deque territorio episcopi, æquis gradibus ac simpliciter cum finibus metropoleos ciui- lis extendendo : nulla tamen ratio in promptu est, quæ ius constituendi episcopos ac metropolitanos nouos, si- mulque discindendi veteres ecclesiæ limites, doceat ex iure in ciuilem reip. statum proxime profluere.

At vero hæc nondum vias elabendi omnes præ- cludunt. Quod enim de parœciis ruralibus atque ἐ- πῶν χωρίοις constitutis præcipue decernitur, controuersia de iisdem in concilio mota fecit, cuius occasione ca- non XVII præmulgatus fuit. At ratio posteriorem canonis exceptionem stabiliendi, generalis est, de- sumpta ex consuetudine antiquissima, qua ecclesiæ status ciuilem imitabatur : eaque in quibusuis non parœciis

I modo





2484.

modo (sicuti verba canonis simpliciter de ecclesiasticis parœciis loquuntur) sed in prouinciis quoque ac metropolitibus locum habet; non secus atque consuetudo ista, in iisdem obtinuit. Vnde simul cognoscere licet, concilium probare illam & canone hoc speciatim confirmatam voluisse. Vt sensus eius sit: Quemadmodum recepti pridem in ecclesia moris fuit, vt ecclesiarum status ad ciuilem componeretur; si ita nouata ciuitas aliqua fuerit, decernimus, vt in parœciis ecclesiasticis deinceps idem obseruetur, harumque τὰς τῶν πολιτικῶν καὶ δημοσίῳ sequatur. Vt autem sequeretur ecclesiæ status politicum, adscribi debet consuetudini ab imperatoribus Christianis receptæ ac confirmatæ. Qui quum etiam solum ecclesiæ statum mutare, & ex vna prouincia duas facere possent; quod Theodosii iunioris exemplo in Phœnicia prima manifestum fecimus: quum immutantes ciuilium prouinciarum formam adeo sollerter morderent, vtrum in ecclesiis eandem inductam vellent rationem; quod Iustiniani nostri Nouellæ aperte testantur: omnino inde consequi necesse est, imperatores nouando ciuitatis aut prouinciæ statum, etiam in ecclesia idem facere, & hinc instituere nouos episcopatus, veteres diuellere iure optimo maximo potuisse.

Hæc interpretatio si genuina est; vt ego quidem maxime genuinam ac veram arbitror: neutiquam immodeste sese gerunt, neque vim canonibus inferunt, qui imperatoribus a concilio Chalcedonensi contendunt ius tacite concedi, vt parœcias, prouincias ac diœceses ecclesiasticas discindat, ciuilia territoria diuellendo. Apparebit exinde etiam, canonem XVII omnino referri posse ad duodecimum eiusdem synodi: & illum quidem de





de sectione, hunc de sola dignitate metropoleos loqui, vtrumque vero hoc tandem sibi velle. Quandoquidem vetus consuetudo obtinuit, vt status ecclesiasticus simulacrum sit status ciuilis: eadem deinceps constanter conseruetur, & prout ciuitas aliqua aut eminentiore solum honoris gradu, aut etiam territorio & iurisdictione aucta fuerit: ita ecclesia pariter, quique ei præest episcopus, vel dignitate duntaxat, vel iurisdictione ampliore, pro ciuitatis suæ statu, gaudeat. In eo consentiunt, id volunt patres Chalcedonenses, modo imperatori placuerit, vt beneficio ciuitati concessa ecclesia quoque fruatur.

Ne vlla supersit dubitandi ratio, en ecce concilium ipsum tibi integerrimum ac planissimum interpretem dabo. Actione XIII inter Nicomediensem atque Nicænum episcopum, vt supra memorauimus, de metropolitana dignitate ac iuribus disceptabatur. Recitatis Valentiniani ac Valentis imperatorum litteris, ad quas Nicænus prouocarat, quum pernoscerent patres, solum honorem eminentiorem in Nicænam ciuitatem collatam fuisse, consensu tandem ita decernebant. Quandoquidem iam olim ordinationum potestas ad Nicomediensem spectasset, Nicæa autem solius dignitatis prærogatiua & appellatione metropoleos duntaxat gauderet: merito antiquum morem etiam posthac obtinere, vt Nicænus episcopus Nicomediensi subiectus sit, exemplo reliquorum Bithyniæ episcoporum. ἐπεὶ δὲ, inquit, καὶ αἱ νομοθεσίαι ὀνόματι μητροπόλεως μόνῳ ἐπέμνησαν τὴν Νικαίων, περιλάττω δὲ τῶν λοιπῶν Ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας τῆ μὴ μόνῃ. *Quandoquidem hæc leges nomine duntaxat metropolis Nicænam ciuitatem cononestarunt: eius*





2486

68

DISSERTATIO II DE DIVISIONE

*antistes episcopis prouincia ceteris honore solo praeferatur. Quid aliud sibi volunt patres Chalcedonenses, quam si ciuili quoque status mutatus, & vera metropoles iura Nicææ tributa fuissent, se nihil pugnatos, quo minus episcopus eius paribus priuilegiis fruatur, & veteris metropolitani iurisdictione semet exsoluat. Distinguunt igitur modo a nobis indicato, & ex iure nouo in ciuitatem collato aestimari volunt iura ecclesiae, vt ea veluti simulacrum publici status a principibus inducti, nunc fastigio solum excellentiore, nunc iurisdictione insuper ampliore gaudeat.*

§(7)§

*Innocentii I locus explicatur. Exemplis stabilimus iura principum. Iustiniani Nouella XXVIII, XXIX, XXXI. De Iustiniana prima. An episcopus eius fuerit patriarcha. Ius illud non accepit a Vigilio Papa. Marca & Baronio respondetur.*

Satis diu in hac parte morati sumus: & reliquum est, vt inspiciamus etiam Innocentii primi locum, qui explicato haecenus canoni XVII contrarius videri poterat, atque a Petro de Marca profertur, vt ostendat ecclesiarum statum, diuisionibus prouinciarum a principe factis, sine ecclesiae auctoritate non immutari: licet fate-ri cogatur, ante Innocentii aetatem id frequentatum fuisse. Alio item loco contendit, Gallicanam ecclesiam in eandem sententiam cum synodo Chalcedonensi (pro-ut ipse quidem canones eius interpretatur) & Innocen-  
tii decreto conspirasse, quasi nefas sit existimandum,  
impe-





imperio regum episcopatus novos institui, sicque veteres discindi. Verba pontificis, ex epistola ad Antiochenum episcopum, extant etiam apud Gratianum, cap. I, Dist. X, & a Nicolao papa adducuntur, ut euincat itidem, *imperatorio iudicio ecclesiastica iura non dissolui.* Cæterum ex verbis illis hoc tantum argui potest, mutationem status ciuilibis ab se non sufficere, ut in ecclesiastico iuxta statu nouationem aliquam trahat; neque semper ad publicum ac ciuilem prouinciæ typum, debere ecclesiarum habitum ac iurisdictionem concinari. Inde vero sicuti non simpliciter fluit, nefas esse, ut, dissecta prouincia, regimen ecclesiasticum pariter diuellatur: ita multo minus contra principum potestatem quidquam ex eo elici potest. Neque ratio suppetit, cur Marci Antonii de Dominis explicationem reiciamus, tacitam hanc exceptionem intelligentis: Nisi aliter imperatori visum fuerit. Quæ sententia per illud firmari potest, quod pontifex generatim de ciuili statu profatur, sibi non placere, ut *ad mobilitatem NECESSITATVM mundanarum Dei ecclesia commutetur*; simpliciter scilicet, sique ex parte ecclesiæ grauior causa, nulla vrgeat. Tunc enim abuteretur iure suo, veterem ecclesiæ statum temere immutans. At si postulante, vel vsu vel necessitate voluerit, ut ad exemplum ciuilibis prouinciæ, status quoque ecclesiasticus nouum habitum induat, illo casu non ait Innocentius sibi mutationem displicere.

Supereft ut exempla principum in medium producamus, qui ipsa re & facto, nec quoquam episcoporum ac patrum valide renitente, testati fuere, sibi ius fasque esse ecclesias quascunque discindendi. **Quantum**





tum sibi Theodosius iunior imperator permiserit, in dissecanda Phoenicia prima, qua regimen ecclesiasticum, supra memorauimus: sicuti & illud pariter, quibus ex causis a Marciano diuisio ista improbata ac sublata fuerit, petente consensumque præbente Chalcedonensi synodo. Aliud non minus illustre documentum Iustinianus imperator suppeditat, Nouella XXVIII & XXIX.

Atque illic quidem de Ponto refert, quo pacto duas in prouincias olim, Hellenopontum scilicet, Pontumque Polemoniacum dissecta, metropoles duas accepisset, non in ciuilibus tantum, sed in ecclesiasticis etiam negotiis. Vnde hoc primum discimus, ecclesiasticum statum pro veteri consuetudine ad publicum prouinciæ suæ typum conformatum, diuisaque Ponto etiam ecclesias disruptas fuisse. Iustinianus postea, quum intelligeret diuisionem hanc in ciuilibus temere factam, *neque publica necessitate eam exigente, neque alio aliquo rationabili pretextu subsistente, quem expedite aliquis atque facile inueniat*; in vnum iterum corpus redigebat istas prouincias, communi Hellenoponti nomine indito. Hæc autem vnitio ultra ciuilem earum statum haud porrigebatur, disertisque verbis de ecclesiis cauebat imperator, ita se velle Hellenopontum ac Pontum Polemoniacum vnius prouinciæ nomine censerî, vt tamen *nihil circa sacerdotium earum innouetur*.

Idem consimili ratione in Paphlagonia fiebat, qua de Nouella XXIX loquitur. Quum etenim Honorii imperatoris æuo diuisa in duas prouincias fuisset, quarum altera vetus nomen retinebat, altera Honorias appellabatur: Iustinianus ad pristinam formam vtrasque reducens, in vnum prouinciæ corpus iterum conflabat;

ea





2484

ea tamen lege, vt circa sacerdotia nihil innouaretur, sed in prouincia vna metropoles duæ ecclesiasticæ permanerent, exemplo aliarum prouinciarum, in quibus idem obseruabatur. Factæ autem antea duæ metropoles fuerant eo ipso, quod Paphlagonia discesceretur. Gangrurum vrbs enim, quæ totius gentis Paphlagonum metropolis ante diuisionem erat, eandem dignitatem ac iura in ecclesiasticis pariter negotiis obtinens, retinebat prærogatiuam illam in sola prouincia, cui Paphlagoniæ nomen speciatim remanserat. In Honoriade ex aduerso Claudiopolis (a Bithynia hæc reuulsa fuerat cum Prusiade & Heraclea, ipsique Honoriadi innexa) metropoles honore decorabatur, cuius episcopus nullam Gangrensi potestatem in se concedebat. Quin potius, quum Paphlagonia Galatiæ subderetur, fiebat exinde vt Gangrensis clerus trium episcoporum ordinationem ab Ancyræ episcopis, qui Galatiæ metropolitani erant, ex peteret: vt ipse Marca attestatur.

Quæ omnia firmant primum consuetudinem, qua ecclesiarum status publicos ac ciuiles prouinciarum typos sequebatur; & de Iustiniani iure testantur, statum ecclesiarum commutandi, atque vel constringendi iurisdictionis limites vel amplificandi. Quo enim colore alias de re ad se non pertinente dixisset, *nihil circa sacerdotia innouamus?* Quin hoc potius inde consequatur necessum est. Quoniam positum in manu imperatoris erat, vtrum mutari iuxta ecclesiarum status deberet ac ciuili exæquari: propterea eum profari aperte voluisse quid vellet, ne tacite videretur vetustæ consuetudini heic quoque locum reliquisse. Vnde non apparet, qua ratione ad suam sententiam trahere exemplum Iustiniani





2490.

72

DISSERTATIO II DE DIVISIONE

Iustiniani Petrus de Marca possit. Quis enim infirmitatem consequentiam non deprehendat, si ex eo, quod nihil in sacerdotiis mutauit imperator, colligere nitaris, ius ei nullum mutandi competiisse? Illud enim duntaxat exinde profuit, non semper ac precise statum ecclesiasticum ciuilem veluti asseclam fuisse; sed tum demum, si imperatori prouinciam secanti ita placuerit. Quoties autem non diserte ab eo prohibebatur, plerumque cum ciuili statu ecclesias quoque nouum habitum accepisse. Nam simpliciter necessarium fuisse, ut imperator etiam iuberet ecclesiam πολιτείαν ad publicam prouinciam suam componi, non arbitramur: atque eatenus nec subscribimus Antonii de Dominis sententiam, alibi expositam. Eadem hæc repetenda sunt ad Nouellam XXXI cap. 2, ubi de Armeniam diuisione, sed qua ciuilem duntaxat statum, tractatur.

Luculenter igitur hinc noscimus, & dissecandi & vniendi potestatem in ecclesiis adscribi imperatoribus debere. Qua diuisionem solam nobilissimum nobis exemplum Nouella XI eiusdem Iustiniani suggerit, qua patriam suam Iustinianam, in Illyrico Occidentali, ad archiepiscopalem seu patriarchalem dignitatem euehit, antistitique eius aliquot prouincias subiicit, a Thessalonicensi ecclesia recisas, *nulla communione penitus Thessalonicensi episcopo, veteri metropolitano, seruanda.* De minuta insuper Meridiani episcopi potestate, & iurisdictioni eius nouis limitibus præfixis; *ut maneret in Meridiano, nulla communione cum Aquis seruanda:* Aquensem episcopum Iustinianæ archiepiscopo subdebat, ut ab illo deinceps, non a veteri suo metropolitano ordinaretur. Quo pacto noua sectio oriebatur, nemine tamen quidquam contra nitente. Aduer-



2491.

*ECCLESIARVM ET BENEFICIORVM.* 73

Aduersus tam perspicuum documentum nihil  
Marca afferre potest, vtcunque non parum laboret,  
quod vel leuiter impulsus haud collabatur ac pereat.  
Nam quod Iustinianum ait videri canones concilii Chal-  
cedonensis infregisse: huic obiectioni iam satisfacimus,  
quum concilium doceremus pro ipsis potius imperatori-  
bus stare. Neque multum nos altera Archiepiscopi ra-  
tio moratur, quando Iustinianum dicit imperatorem fu-  
isse ornandæ patriæ auidum, & istum porro nouitati huic  
colorem quæsiuisse, quod veterem consuetudinem, quæ  
bellorum tempestatibus deleta erat, in integrum restitu-  
eret. Primum enim non omnia penitus priore in statu  
collocavit, sed præfecturam ac dignitatem metropoliti-  
cam, summumque illud Illyrici fastigium tam in ciuilibus  
quam episcopalibus causis, quod antea in Sirmitana  
ciuitate constitutum fuerat, in patriam suam Iustinia-  
nam primam transtulit. Neque eam solius metropo-  
leos, sed ipsius archiepiscopatus honore decorauit: quæ  
multo maior & eadem atque patriarchalis dignitas erat.  
Nam quod patriarchæ nomen eidem tributum haud  
fuit, ipsius rei seu iuris vim ac potestatem nihil immi-  
nuit. Cur litigemus de vocabulis inani studio, si ne-  
gari nequit, archiepiscopum Iustinianæ primæ & ἀντι-  
κέφαλον & metropolitanorum primatem, hoc est, re i-  
psa patriarcham fuisse, quamuis reuerentia antiquorum  
patriarcharum, appellatione ea non ornaretur? Illud  
vero licet non factum fuisset ab imperatore; licet cun-  
cta tantum priorem in statum reposuisset: quis inde fir-  
miter coniciat, ergo non iure suo, sed coniuente con-  
cilio aut pontifice hoc effectum dedit? Nihil sane aliud  
operatur adiecta a Iustiniano ratio, quam vt manife-

K

stum





Σαγγε

74

DISSERTATIO II DE DIVISIONE

stum fiat, non temerario amplificandæ patriæ amore, sed iustis ex causis honorem illum Iustinianæ fuisse habitum.

At nondum est, quod defunctos nos tuendi Iustiniani labore gaudeamus. Instat enim Archiepiscopus Parisiensis, quodque priuilegia ab imperatore patriæ suæ concessa vim ac robur acceperint, Vigiliis pontificis confirmationi, solenni scilicet more Pontificiorum, adscribit. Quid? quod adhuc amplius dissertatione de Primatibus affirmare non dubitat, cura saltem Iustiniani factum fuisse, ut Achrida seu Iustiniana prima decoraretur summo sacerdotii fastigio, utque Vigilius papa ei priuilegia archiepiscopalia impertiret. In Occidentali ecclesia archiepiscopos Thessalonicenses, itemque Iustinianæ primæ, præfuisse metropolitanis suarum dioecesium, beneficio pontificum Romanorum, & vice apostolica exercuisse iudicia, congregasse synodos, ordinationes instituisse. Tandem vicarios illos apostolicæ sedis subiectos pontifici Romano fuisse.

Neque solus Parisiensis archiepiscopus potestatem imperatoris impugnat; sed alius iam, & multo acrior hostis ex Capitolina arce mediæ sese arenæ sublimem infert, tela humeris ferens, spargensque non ferrum volatile, sed acerbissima conuicia, boni Iustiniani mei manes inhonestis vulneribus confodiens.

*O superi! tantane animis illustribus ira?*

Si quæras quæ causa tanti doloris, quove sacrilegio imperator extrema pæne supplicia meruerit: adest iam cardinalis Baronius, tutela ac columen ecclesiæ Romanæ; duosque imo de pectore gemitus ducens, Quis enim, ait, hominis istius facinorâ perstricturus, sibi ab  
indi-



2493

ECCLESIARVM ET BENEFICIORVM. 75

indignatione & ira temperet? *Nulla* vnquam fuere tempora, quibus sub Catholico imperatore adeo ignominiosa diraque pati coactus fuerit Romanus pontifex, quam quibus Iustinianus imperium tenuit. Hic in Vigilio papa, grauissimo contemptu despexit apostolicam sedem; hic fatigare Vigiliū ærumnis, & agitare vi omni non cessauit, donec extorqueret tandem, quod ab Agapeto obtinere frustra tentauerat, nec ab eius successore Siluerio valuerat impetrare: vt nempe natale solum suum, Iustiniana prima, non episcopatus modo, sed etiam metropolitane sedis dignitate augetur. Hinc igitur illæ iræ (quamquam & aliæ non dissimiles causæ stimulant) hinc illa linguæ calamique prælia.

Sed nobis satius fuerit, composito omnia animo agere, neque manes sollicitare & cum laruis luctari: idque tanto facilius, quanto minus a Baronio periculi est. Nam si scisciteris, qua testimoniorum fide cardinalis criminatio nitatur, præter silentium altum aut *ἄ* *αὐτὸς ἔφα*, nihil reponetur. At nobis copia est producendi ipsa imperatoris verba, quibus longe ante Vigiliū in Iustinianam suam contulit summum archiepiscopatus apicem, nec quidquam pontificis auctoritate ad eam rem sibi opus esse existimauit. Nulla proferuntur vestigia consensus pontificii, multo minus, confirmationis aut rescripti Vigeliani. Quin etiam disertis verbis imperator Iustinianæ archiepiscopum *αὐτοκέφαλον* iubet esse, nec vlli episcoporum patitur subiici. Quum enim antea Thessalonicensi ius omne in Iustinianam eiusque præfulem abstulisset, mox adiicit: *Et nec ad alium quendam* (vltra Thessalonicensem puta) *eatur*, quisquis ille nimirum fuerit. Iulianus etiam antecessor, interpretis No-





2494.

76

DISSERTATIO II DE DIVISIONE


uella CXXXI, eadem, ait, iura archiepiscopo Iustinianæ in metropolitanos suos tributa esse, quæ Romanus pontifex habeat *ἐν αὐταῖς ταῖς ὑποκειμέναις αὐτῷ ἐπαρχίαις, in subiectis sibi prouinciis.* Quamquam vero non satis ceperit Nouellæ mentem Iulianus: de *ἀντικεφαλία* tamen nullum est dubium: vt neque Marcæ hæctenus fides habenda sit, qui idonea nulla asserti sui laudauit testimonia. Cum Baronio colores vanos quærere, quasi interciderint litteræ Vigilii, quibus archiepiscopalia, quin ex cardinalis mente, saltem metropolitana priuilegia, impertitus Iustinianæ primæ fuerit: non erit firmare asserta, & obscuris lumen præpandere; sed lectores sibi fingere Bæotum in patria natos ac lollio victitantes, qui nec videant quod vident, & vel somnia magnorum scriptorum pro oraculis venerentur.

Enimuero testatur quidem Iustinianus Nouella CXXXI; testantur Gregorii I epistolæ, vices apostolicæ sedis archiepiscopo Iustinianæ a Vigilio, huiusque successoribus fuisse mandatas. At quotusquisque non deprehendit, archiepiscopalia iura multum discrepare officio ac iuribus vicarii, nec cum hisce illa demum in Iustinianæ præfulem transiisse? In quantum is archiepiscopus, in quantum *ἀντικεφαλῆς* erat, nullum aut Vigilio, aut cuiquam pontificum beneficium debebat, sed soli imperatori suo Iustiniano. Vicarias sedis apostolicæ partes longo demum interuallo accepit, artificio & caliditate curiæ Romanæ solenni: quæ quos videbat sui iuris & eminentiores esse episcopos, vt exurgendi excelsius occasione præclusa, nec sentientes sibi subiiceret, imagine vani honoris exornabat nomine ac iuribus, quibus nullis indigebant, sicque efficiebat, vt potestatem omnem

mnem



mnem viderentur non suo iure habere, sed sedis apostolicæ beneficio. Obseruauit hoc dudum Salmasius, laudato sæpius opere, cap. XI. Vnde tanta mirandi caussa non est, si postea Gregorius primus sustinuit Ioannem, archiepiscopum Iustinianæ, abstinere a communionem, iudiciumque eius, tanquam vicarii Romani, aduersus Thebarum episcopum latum rescindere.



*Controuersia sub Alexio Comneno. Constitutio imperatoris. Alia controuersia sub Isaaco Angelo. An ab imperatoribus hisce & Balsamone ruis illata canonibus.*

Clariora quæ de iure principum hæctenus disputauimus, fient ex controuersia æuo Alexii Comneni imperatoris agitata, de Basilii Madytorumque metropolitibus. Quum enim in eo iam esset, vt eligi antistites, defunctorum successores, deberent, Heracleensis & Ancyranus metropolitani non Constantinopolitano patriarchæ, sed sibi ius eligendi competere contendebant. Nam Madytorum ecclesiam ad Heracleam, Basilii vero ad Ancyram metropolin pertinere, eisque subiectas esse. Canonem quoque XII Chalcedonensis synodi iubere, vt veteri metropoli integra conseruentur iura sua in ecclesia nouo honore exornata. Exorta inde disputatione, vtrum eo ipso prioris metropolitani iurisdictione aliquis subtraheretur, si metropolitam dignitatem a principe acciperet; itemque vtrum extincto nouo metropolitano ad inferiorem gradum reduci ecclesia posset: Alexius imperator Nicolao, patriarchæ Constantinopolitano mandabat, vt congregatis quæ in vrbe tum





2496

erant patribus, iuxta cum magistratibus ordinis senatorii cognosceret causam, eique finem legibus & canonibus conformem imponeret. Rescriptum vero antea eodem de negotio publicatum, quo scilicet prohibuerat quemquam episcopatum ad inferiorem gradum retrahi, nisi ad tempus saltem ac personæ magis collatus honor esset, ipsemet eatenus reuocabat, ut nollet decreto synodi ac magistratus obstare. Causa rite cognita, lataque sententia, referri ad se rem omnem iubebat, ut ecquid facto opus esset, ipse porro pernosceret. Agebantur hæc omnia indictione VII, & auctoritatis imperatoris luculenta argumenta suppeditant.

Coacta iam synodo, quum producerentur constitutiones duæ Alexii Comneni, quarum altera vetabat novas metropoles in priorem atque inferiorem statum redigi; altera Constantinopolitanæ ecclesiæ iurisdictionem in novos metropolitanos contra veteres asserebat; reclamantibus antiquis metropolitanis, tandemque ad imperatorium tribunal prouocantibus: dilata tantisper sententia, ad imperatorem causa iterum remittebatur. Memorat vero Nicolaus epistola ad Alexium, inter alia hoc etiam obiectatum fuisse: imperatorii muneris esse, ecclesias ad celsius honorum culmen prouehere. Ad quod ita respondet patriarcha, ut saltem doceat, non debere illud ius exerceri in præiudicium aliorum, & contra canones, ambientibus præcipue, quibus honores illi dentur. Quo de supra verba fecimus. Ipse autem pro veteribus metropolitanis acriter & multis argumentis pugnans, decretum Constantinopolitanæ synodi, sub Romano seniore, & præside Theophylacto, patriarcha Constantinopolitano habitæ, aduocat, quod antiquiori  
me-





metropolitano sua vindicavit iura, & imperatoria quoque auctoritate confirmatum sit. Rogat deinde Alexium, ut promulgatis sanctionibus intermineretur, ne quisquam ex sola dignitate civitatis suæ, iurisdictioni veteris metropolitani semet subducere audeat. Hunc enim sensum esse Nicolai, inde argui potest, quod contra novas metropoles antea monuerat, honoris illum apicem civitatibus, non ecclesiis concessum fuisse. Cæterum satis hinc elucet, quantam agnouerit patriarcha potestatem imperatoris: cui liberum insuper de præteritis statuendi arbitrium in causa hac relinquit.

Indictione demum decima, ut Theodorus Balsamo notat, sententia imperatoris Alexii Comneni pronunciabatur; quodque dignum observatum est, præsentem ac simul decernente synodo. Licere scilicet imperatori pontificalem thronum ecclesiis largiri, ex episcopatibus vel archiepiscopatibus metropoles facere, nec non cætera pro arbitrio ordinare, quæ ad electionem, & reliquam dispositionem spectarent. Neque huic rei quidquam obstare canonem XII Chalcedonensis synodi: quem interpretabatur etiam, & quibus casibus veri metropolitani iura consequuturus aliquis esset, expediebat: nunquam se concessurum affirmans, ut *privilegium sibi a divinis canonibus datum* (id est, consensu canonum adiudicatum) neglectui habeatur. Conferatur laudati sæpius Nicolai synodalis epistola cum commentariis Balsamonis ad canon. XXXVIII synodi sextæ in Trullo habitæ, nec non cum constitutione Alexii Comneni imperatoris, quam Antiochenus ille patriarcha nobis servavit. Deprehendet lector, quæ memoravimus, breviter omnia sed cum fide relata esse.

Pro-

2497  
dp 1.2

Græco-Roman.  
part. 1. p.  
131 & 272  
& seq.





2498.

80

DISSERTATIO II DE DIVISIONE

Proferamus iam nouum exemplum, quod Isaaco Angelo imperante, sub exitu sæculi XII contigit. Metropolitani enim aliqui episcopatus antea sibi subiectos, quum metropoleos & archiepiscopatus honore donati essent, reuocare iterum ac sibi subiicere nitentur; aliqui etiam prohibere imperatorem audebant, ne quem episcopatum ad illud honoris decus subueheret. Hisce Angelus *secundum sibi datam a superis potestatem os occludens*, explicabat simul peculiari constitutione, quo pacto nouæ metropoles solo honore gaudere deberent, seruatis veræ metropoli iuribus suis. In vniuersum etiam fanciebat, & obseruandum synodo iriungebat, vt *ecclesiæ imperatoria iussione in thronum altiore erectæ*, honore quoque dignæ censeantur, electionibus ex canonica forma instituendis: non ab antiquiore metropolitano ac prouincialibus episcopis, sed vt fieri soleat in magna, seu Constantinopolitana ecclesia, *metropolitanis & archiepiscopis concilii convenientibus, & metropolitanum nouum eligentibus*. Subiicit Angelus: *Et hanc constitutionem sancta quoque sequatur synodus, vt quæ ecclesiasticum ritum accurate seruet & a canonica rectitudine non excidat*. Extat imperatoris huius constitutio inter varias sanctiones, quas Dionysius Gothofredus Iustiniani ac Leonis constitutionibus subiicit.

Quæ ex Balsamone ad Chalcedonensem synodum alibi opportunius protulimus, operæ non est hic reponere. Breuiter duntaxat monebimus, ad canonem XII plura exempla ab eodem percenseri, ecclesiarum ad metropolitancam dignitatem ab imperatoribus euectarum. Frustra etiam esse Parisiensem archiepiscopum, quando

Bal-



Balsamonem ait & Alexium Comnenum imperatorem (idem de Isaaco Angelo dicendum fuerit) vim intulisse sacris canonibus, vt ecclesiam Constantinopolitanam amplificarent. Nam satis opinor manifestam canonum mentem fecimus: neque soli imperatores, aut consensu solum patriarchæ Constantinopolitani, controuersias istas definiuerunt; sed congregata synodo tota & post multas disputationes vna decernente.

Quodnam vero augmentum expectare Constantinopolitana ecclesia poterat, si potestas episcopatus ac metropoles instituendi & discindendi ad imperatores transferretur, tantum vt sibi metropolitani noui subiicerentur, veteri prouinciæ subducti? Quasi non potuerit idem fieri, si ecclesia ius sibi suum conseruasset. Et cur Nicolaus patriarcha tam strenue veterum metropolitanorum causam agebat, si tanti intererat ecclesiæ suæ, vt in metropoles nouas potestatem ordinandi acciperet? Cur tam serio hoc factum suum tuebatur, *non etiam*, inquiens, *multorum opiniones metuo, qui me volunt concessæ mihi diuinitus ecclesiæ priuilegiorum rationem habere, nec ea negligere vel temere prodere. Non enim hoc pontificum est, vt necessario putent ecclesiæ suæ priuilegia citra discrimen tuenda, tam iusta quam iniusta: sed quæ iusta sunt, inuiolabilia prestare debent, iniustis vero cedere.* At Baronio cardinali ad annum Domini DXXVIII aliter longe visum fuit. Is vehementissime indignatur, & antistites Constantinopolitanos imprudentiæ, væcordiæ ac timiditatis arguit, quod scilicet passi fuerint imperatores suos episcopis omnibus leges ferre, non secus atque caput ipsum ecclesiæ aut concilium episcoporum. Quid mirum vero, si inopia argumentorum

L

tandem


2499-





2500

82 *DISSERTATIO II DE DIVISIONE*  
tandem semet permittit affectui, & pro annalibus accu-  
fatorias nobis declamationes condit?



*Exempla imperatorum Occidentis. De Mo-  
guntina ecclesia. De Bonifacio episcopo.  
Utrum Moguntia VVormatia vnquam  
subiecta fuerit in rebus ecclesiasticis. De  
Bambergensi episcopatu. Tangmarus ex-  
plicatus.*

Sed ne Orientis tantummodo imperatores iura  
hæc vsurpasse quisquam obiiciat, in Occidentem por-  
ro pedem proferamus. Nec repetemus verbosius,  
quæ doctissimi viri de iure imperatorum nostrorum in  
episcopatibus constituendis, ex quo diuidendi potestas  
promanat, accuratissime disseruere. Suffecerit itaque  
Moguntinæ & Bambergensis ecclesiæ exempla retulisse.  
Illa nimirum, quum antea subiecta esset Wormati-  
ensi episcopo, vti post Otlionum & Engelhusium tra-  
dunt Baronius & Lehmannus, Chronici Spirensis au-  
ctor, a Carolomano rege postea ad archiepiscopalem  
dignitatem ita euehebatur, vt non eriperetur modo iu-  
risdictioni Wormatiensis præfulis, sed metropolitana,  
insuper iura in eundem episcopatum adipisceretur. Quod  
primario quidem regis auctoritate fiebat; consilio ta-  
men atque consensu sacerdotum optimatumque, & po-  
stremo etiam pontificis Zachariæ confirmatione acce-  
dente, quantum ad Bonifacium attinet, primum Mo-  
guntinæ archiepiscopum. Sibi sane Carolomannus in  
synodo Moguntina auctoritatem in negotio isto præci-  
puam





2501

ECCLESiarVM ET BENEFICIORVM. 83

puam vnice vindicat. *Per consilium, ait, sacerdotum & optimatum meorum ordinauimus per ciuitates episcopos, & constituimus super eos archiepiscopum Bonifacium, qui est missus S. Petri.* Diserte etiam Ludgerus in vita S. Bonifacii atque Gregorii, S. Bonifacium testatur eo peruenisse, vt consensu omnium, nemine obloquente, *eligere- tur in episcopatus sublimissimum gradum, & Moguntina me- tropolitana ecclesia ei daretur a regibus prouidenda & re- genda.*

Quod autem Zachariæ pontificis confirmatio postulata est, factum solennitatis maioris causa, & quia Romani præsulis nomen magna tum reuerentia colebatur. Et consilii huius auctor haud dubie Bonifacius, aliquot pontificum ad Germanos legatus, vt paganam & idolis addictam gentem ad Christianam fidem adduceret. Sic epistola ad Zachariam, quum memorasset tres a se episcopos (auctoritate scilicet sum- mæ tum potestatis) institutos, diuisamque prouinciam in tres parœcias esse, probari etiam acta sua, & a pon- tifice, a quo ablegatus, confirmari expetebat: homo, si quisquam mortalium, sedi Romanæ semper deuotissi- mus. Idem igitur fecit, Moguntina ecclesia ad subli- mius fastigium elata: vt scilicet re ac facto præstaret, quod epistola prima ad Zachariam de se gloriatur: *Quantoscunque audientes vel discipulos in ista legatio- ne mihi donauerit DEVS, ad obœdientiam apostolica se- dis inuitare & inclinare non cesso.* Præterea solebant plurimum Occidentis principes, quoties in sacris ali- quid constituerent, Romanorum antistitum confirma- tionem exposcere, quod inter episcopos omnes iam ab antiquissimis temporibus singulari honoris prærogatiua





2382

G. Ziegl. ad  
Lancel. 1, 5,  
2.

eminuissent. Quod si negligebatur alicubi, neutiquam exinde factum principis irritum iudicari debebat: sicuti eandem sententiam nec Pontificii omnes diffitentur.

In eo autem, quod Ottonus in vita Bonifacii ait, principes missa ad apostolicum praesulem legatione impetrasse, ut Moguntiacensem ecclesiam facerent metropolin omnium per Germaniam ecclesiarum; in eo inquam, falsus est animi, repugnantesque habet ipsas Zachariae pontificis litteras. Hic enim Bonifacio, qui solus, suoque nomine Romam aliquot legauerat, nihil initio respondebat, quam *se latum suscepisse quod decreuerint Francorum principes, ut Bonifacius Moguntiae sedem metropolitanam perpetuo tempore habeat. Quod obsecrasti vero, ita pergit, ut Francorum principibus scriberemus: scias a nobis gestum. Quodnam autem argumentum istarum litterarum? Per singula enim eis scripsimus, ut petisti, ut tibi amici sint & adiutores in dominico opere existant.* Nulla hic ne confirmationis quidem mentio, nedum ut fecerit principibus potestatem euehendi Moguntinam ecclesiam ad metropolitanam dignitatem. Anno demum primo & quinquagesimo saeculi octauo, alteris ad Bonifacium litteris, *confirmabat ipsi & successoribus eius apicem illum honoris, & quidem iuxta principum Francorum petitionem:* quum iam a tempore synodi, anno secundo & quadragesimo habitae, ut Christophorus Broverus primo Antiquitatum Fuldensium & notis ad vitam Bonifacii atque Gregorii defendit, in eo fastigio Bonifacius stetit. Ad quem etiam solum confirmatio ista pertinebat, tanquam ad legatum sedis apostolicae; itemque ad futuros eius successores: non ad ecclesiam, aut quasi principum facto robur aliquod fuerit additum.





ditum. Nec legisse memini vestigia vlla principalis ad pontificem legationis, aut huius ad illos litterarum, de confirmatione iuris quod ipsi ecclesiae conferant.

Hac de Moguntiaca metropoli satis, quantum ad nostrum institutum; si vere Wormatiensis episcopi iurisdictioni erepta fuit. Quoniam vero illud ipsum a Petro de Marca, dissertatione de Primatibus in dubium video vocari, dabis mihi hanc veniam lector, ut in sententia ista excutienda aliquid impendam temporis, teque a proposito huius scripturae, breui digressionem abducam. Illud igitur extra controuersiam est, ciuitatem Moguntiacensem semper pro metropoli Germaniae primae in ciuilibus habitam, Wormatiam vero eidem subiectam fuisse. Quumque per Gallias, quarum pars Germania prima & secunda erant, metropolitani ex veteri prouinciarum more numerarentur, non potest non inconueniens atque absurdum videri, si peruerso disciplinae ordine Moguntinam statuas saltem Coloniensi metropoli in Germania secunda, nedum Wormatiæ paruisse.

At ex aduerso reuinci idoneis argumentis nequit, eadem semper ratione digestum ecclesiae statum, atque ad ciuilem imperii πολιτεια, in Germania maxime, compositum fuisse? Tam alta enim nocte priorum saeculorum memoria premitur, ut vere micare cogamur in tenebris, nullo vnquam sole depellendis. Inde erudita quidem, sed tamen coniectura est, si florente imperio dicas cum P. Berserio Praeside Tolosano, episcopum Moguntinum Germaniae primae metropolitanum extitisse. Quasi iam istis temporibus necessarium fuerit, ut in ciuili quaque metropoli etiam episcopus





metropolitanus federet; licet ex Irenæo constet, iam tum anno CXC in Germania fundatas fuisse ecclesias. Sed pauca tamen erant & longe haud dubie distita, exsuperante vndique paganorum multitudine hominum, vt presbyteri pauci, & vnus aut idem alter episcopus totis prouinciis sufficerent. Sic iam Bonifacii Moguntini æuo in tota Baioaria prouincia, antequam ab illo in quatuor episcopatus dispeceretur, vnicus fuit Vuilinus episcopus. Neque ex eo, quod canones concilii Nicani in Galliis etiam obtinebant, firmiter quidquam elici potest: quia nusquam illi præcipiunt, vt ecclesiæ ordinentur per prouincias; vt in metropoli vnaquavis primus episcopus sedeat: sed confirmant solum inductum olim morem, quo singulis ciuitatibus singuli episcopi, prouinciis singulis singuli metropolitani præerant; & contra eum, vbi scilicet receptus erat, nihil admitti, aut cuiusquam prouinciæ iura violari patiuntur.

Vtcunque tamen hæc fuerint, vtcunque aliam mentem Nicænæ synodo affinixerint veteres, & Moguntinam ecclesiam rexerit episcopus, qui plures sibi subditos haberet: hoc tamen multo verius, multoque facilius probatu est, ruente in Germania nominis Romani maiestate, turbatisque per crebra bella ciuilibus rebus, non minus turbarum ac malorum statui ecclesiarum importatum fuisse. Testari hoc satis potest epistola Bonifacii ad Zachariam pontificem, a Marca laudata: ex qua simul apparet, Francos neutiquam ante ipsum archiepiscopos penitus ignorasse. Memorat enim Francos, *vt seniores dicant, plus quam per tempus octoginta annorum* (scribebat vero epistolam suam anno Domini DCC XLIII) *synodum non fecisse, nec archiepiscopum habuisse.*



*isse.* Quæ verba simul argumentum suppeditant pro tabulis donationis, nescio cuius Bilechildis, in quibus auunculi sui Sigeberti, *archiepiscopi Moguntini* mentionem facit: suspecta hinc Nicolao Serrario instrumenti fide, quod Bonifacio sæculo demum octauo nomen illud fuerit delatum. Sed si vera narravit Bonifacius, sane sine ratione: quod siue tempus confecti instrumenti referas ad annum quintum & trigesimum sæculi sexti; quem quidem illud præfert: siue ad Clodouei regis principatum; qui ab eiusdem sæculi anno quarto & quadragesimo ad sexagesimum vsque durauit: nihil in ratione ineunda fefellit Bonifacius, & vnicus adhuc patet exitus Serrario, vt dicat annos istos octoginta ad synodos restringi debere. Aliud tamen voluisse Bonifacius videtur. Et prælata altera probabiliore sententia, non repugnamus, quo minus Venantii Fortunati carmen in Sidonium Moguntinum, qui circiter annum sexcentissimum floruit, de archiepiscopali dignitate capiatur. *Iura, inquit, sacerdotum sacro moderamine seruans.* Alias ratio nulla est quæ nos *sacerdotis* vocabulum cogat de episcopis præcise intelligere.

Hoc interim ex Bonifacii verbis clare perspiciatur, statum ecclesiæ Moguntinæ etiam tum maxime peruersum fuisse, quum instaurata iterum, atque ex cineribus suis esset excitata. Nihil ergo absurdi affirmauerit, qui illam eodem æuo subiectam alii statuerit, licet non tanquam archiepiscopo. Sane expressum Ottoni testimonium in promptu est, in vita Bonifacii: neque illo reiiciendo suffecerit dixisse, deceptum fuisse falsa coniectura, ex ordine disciplinæ canonicæ capta: quasi eum subfuisse aliis oporteat, qui supra alios euehatur.

Nam





Nam haud de nihilo est Lehmanni ratio, propterea Wormatiæ episcopum in Moguntinum sibi potestatem arrogasse, quod Lotharius, Pipinus, & Carolus M. imperatores frequentissime ciuitatem ipsius habitauerint. Non tamen collata in eundem archiepiscopi nomen ac iura. Huc accedit, quod Engelhusius in Chronico (prodiit ab aliquot annis clarissimi Maderi opera) sedecim episcopos Moguntinos nominatim percenset, qui Coloniensi atque Wormatiensi fuerint suffraganei, & quidem ante Bonifacium.

Attamen ingenue fatemur, nec Otloni nec Engelhusii testimonia indubitata nobis fidem facere. Si enim ad Geruilionem episcopum, cui Bonifacius successit, & Moguntia & Wormatia pertinere; si in Moguntina ciuitate sedem ipse fixit; uti litteraria monumenta testantur: quo pacto poterat tunc, quum Bonifacius ad celsiorem honoris gradum extolleretur, Moguntina ecclesiæ Wormatiensi subiecta esse? Atqui hoc aperte asserit Otlonus. Si porro ante Bonifacium, octoginta retro annis, nulli Francis fuere archiepiscopi: unde igitur Wormatiensi nomen illud enatum aut quæsitum est? unde & Coloniensi & Wormatiensi æque ius archiepiscopale in eandem ecclesiam, contra mores ac iura ecclesiastica; nisi forte diuersis de temporibus Engelhusius accepit? Hæc, fateor, me ambiguum reddunt, nec satis video quo colore aut Marcam deserere, aut Otlonum cum Engelhusio tegere ac tueri queamus.

Relicto igitur tam ambiguae disceptationis lubrico, clarius paulo documentum afferamus in Henrico II imperatore, qui Bambergensem ecclesiam extulit ad episcopalem dignitatem, & a parœcia seu diœcesi Her-  
bipoli-



bipolitani episcopi plane auulsit. Quamuis enim valde reniteretur Herbipolitanus, sibi diocesana iura in nouum episcopatum vindicaturus : caussa tamen ad synodum Francofurtanam, ab Henrico tum congregatam, relata, consensu omnium ita decernebatur. Fas imperatori esse Bambergensi ecclesiae episcopalem honorem conferendi, necquicquam reluctaturo Herbipolitano episcopo : cuius iurisdictioni quoque nouus episcopatus minime subiectus esse debeat. Ex consensu itaque & sententia synodi comitatum Bambergensem imperator episcopatus titulo ac iuribus exornabat, anno sexto & millesimo post natum Christum, nec dum electus in imperatorem aut consecratus a pontifice. Paucorum quoque annorum interuallo primam ibidem synodum agitabat inconsulto papa.

S. cap. 16. de  
Maior. &  
obæ d.

S. Ditmar.  
in Henr. II.

Enimuero quantum ad constitutionem dicti episcopatus, aduersari nobis grauitur videtur eiusdem æui scriptor Tangmarus, presbyter ac bibliothecarius Hildesheimensis, in vita Bernvardi episcopi, cuius adhuc pueri magister fuerat. Narraturus enim episcopum hunc suum concilio quoque interfuisse rogatu Henrici regis, aperte ait : *Nam Bauenberch regali loco, qui sibi (Henrico) hereditario iure a maioribus suis competebat, episcopalem sedem nouiter cupiebat instituire; vnde synodum omnium episcoporum in Franconouord adunauit, vt scripta Romani pontificis super hoc & decreta communi iudicio comprobarent.* Verum si fides in auctore, si in eo, qui publici iuris fecit, haud alius certe huius loci sensus fingi potest, quam consultum ab Henrico pontificem ad sensu ac litteris suis institutum regis approbasse. Ad- dam adhuc amplius, ex decreto etiam, hoc est, ex sen-

M

tentia





tentia papæ Henricum negotium illud suscepisse. Nihil enim hinc contra iura ipsius ac potestatem in sacris protrahas. At fac pontificis auctoritatem hic fuisse primariam. Cur igitur Henricus peragit rem totam, cur ipse conuocat synodum & eius demum sententiam explorat? Cur non redit ad sedem apostolicam, & apud illam accusat obstinatum Herbipolitani animum? cur a pontifice non quærit, vtrum ius vllum Herbipolitano in nouum episcopatum concedendum sit? Hæc quantum ad imperatorem Henricum. Vnde porro Herbipolitano episcopo auctoritas tanta & fiducia virium, vt pontificis decreto obniteretur, aut cur ab eo non expetiit episcopalia iura? Denique, cur referente Ditmaro, pepigit cum Henrico de dignitate archiepiscopali sibi deferenda, eaque spe ac lege & consensit in constitutionem noui episcopatus, & prædium etiam in illius vsum imperatori concessit? Quare a Tangmari quidem auctoritate nihil, opinor, sententiæ nostræ periculi est.

§§(10)§§

*Gregorius VII primus sibi ius diuidendi arrogauit. Gallicana ecclesiæ status seculo sexto. Exemplis Marca respondetur. De Urbano II. De Paschale secundo. Inonis sententia.*

Hæc vero exempla ingenio non contentioso satis esse possunt, vt reiectis erroribus veritatem candidè profiteatur. Neque alius imperii Romani status fuit, vel in Oriente vel in Occidente, donec vndecimo sæculo, quum & imperium & ecclesia Orientis rueret, neque



que extarent amplius qui æqua auctoritate potestateque Romanos præfules licentius dominari vetarent, Hildebrandus ille, tot illaudatis artibus famosus, exercere tyrannidem occiperet, ope inprimis Cluniacensium monachorum, quos potestate episcoporum exemptos, iisdem opponebat, vires ac maiestatem Occidentalis imperii tantum non penitus euertens. Ab eo tempore *alatis decretis* regi ecclesia cœpit, libertate omni, etiam synodorum interclusa. Hic primus pontificum, vere calamitas ac pernicies ciuilibus maiestatis, ausus fuit *dictatibus* suis XXVII, ista quoque numero septimo inferere; SOLI PAPAE licere pro temporis necessitate nouas leges condere nouas plebes congregare: de canonicis abbatias facere, & DIVITEM EPISCOPATVM DIVIDERE ET DVOS PAVPERES VNIRE. Quotquot igitur exemplorum a Marca proferuntur post Gregorii VII tempora, contra principes nullam testimonii fidem merentur.

Quantum ad Gallicanæ ecclesiæ statum attinet, iam sæculo sexto episcopi illius regni cœpere auctoritatem regiam imminutum ire. Nam ex Aruernensi synodo, quæ anno DXXXV fuit habita, itemque ex sequentibus conciliis, tertio & quarto Aurelianensi, Parisiensi tertio & Lugdunensi secundo, satis liquet, ausos fuisse episcopos regibus ipsum etiam ius conuocandi & imperandi synodos denegare. Quum enim antea consueuissent in generalibus conciliis præfari, se litteris imperatorum, in nomine spiritus sancti fuisse conuocatos: Aruernense illud primum ponere sustinuit, se a spiritu sancto, consentiente rege Thedeberto congregatum fuisse. Reliqua autem ne mentionem quidem consensus regii faciunt. Quin anno DLXVII, synodus secunda Turo-



2520.

nensis nihil verita fuit canone XXI asserere, synodum Aurelianensem qui nram anno DXLIX conuenisse *supplicante* Clodoueo primo rege. Quæ sicuti ipse Marca lib. VI, cap. 18, fateri coactus fuit: ita nemo credet in sectionibus ecclesiarum non multo plus sibi iuris arrogasse Gallicanos episcopos. In promptu igitur responsio erit ad cætera exempla Marcæ laudata, quæ saculo isto sexto, & post Aruernense concilium in Gallia euenerunt.

Sed alia præter hæc ad manum sunt, quæ ipsi regeramus. Nam quod ad Childebertum regem est, qui Meleduni in diœcesi Senonensi episcopum nouum constituere tentabat; propterea conatibus eius repugnabatur, quod contra canones, hoc est, sine consensu metropolitani, ac superstitute proprio sacerdote, ordinari alterum episcopum iuberet. Neque mirum Leonem, Senonensem episcopum, prouocasse ad concilium aut pontificem: quum magno suo præiudicio nouus episcopatus conderetur. Exinde tamen nihil colligitur firmiter, ad iura constituendi & discindendi episcopatus regi deneganda. Quod porro Carnotenæ paroeciæ sectionem concilium quartum Parisiense irritam pronuntiabat, non ex defectu fiebat iuris regii, sed quia suscepta illa fuerat contra canones, ex suggestione praua & malis artibus Promoti presbyteri, sine consensu episcopi Carnotensis ac synodi.

Illud vero etiam pro nobis est, quod de Rogerio Calabriae & Siciliae comite memorat, immensi sumtu eum in Sicilia episcopatum restituisse, itemque Trainensem episcopatum, recens conditum, cum Messanensi a se restituto & instaurato per diploma copulasse. Nam quod





quod consilio papæ id fecisse dicitur, nihil ad imminuendam Rogerii potestatem valet, multoque minus quam quod de Ottone III Baronijs refert, eum anno DCCCCXCIX in Polonia Gnesnensem archiepiscopatum pontificis auctoritate constituisse. Abutitur enim *auctoritatis* vocabulo cardinalis, tam hic, quam alibi sæpe, quando contendit concilia olim auctoritate pontificum indicta & congregata fuisse. Sola principum auctoritas præcedebat, accedente interdum consensu tantum ac sententia pontificum. Quo de contra Baronium, Seuerinum Binium & Andream Vallensem fuse disputat Edmundus Reicherius, Historia conciliorum generalium.

Nec porro tam Marcam, quam nos potius exempla iuuant ex Lucensi & Emeritensi concilijs allata. Quod enim in Hispanijs Gallæcia in duas prouincias tributa est, noua sede metropolitana apud Lucum excitata, & recisis ex antiqua Bracara metropoli aliquot episcopatibus; Theodemiri Sueuorum regis iussui debetur, interueniente saltem synodi Lucensis, a rege conuocata, sententia. Emeritense itidem concilium, in Lusitaniæ sedibus, antiquæ metropoli Emeritæ restituendis, solius sibi *iudicij* siue sententiæ ius; at Recesuintho regi Gothorum, *decretum ipsum*, id est, primariam auctoritatem (nec enim alius hic sensus locum inuenit) adscribit.

Nicolai primi epistola ad Salomonem, ducem Britannorum, luculenter arguit, controuersiam de Britannia ecclesijs a veteri metropoli auellendis, non ad Romanos præfules, sed ad ipsum ducem & Carolum Caluum, regem Francorum, pertinere. Cur enim scribit, pace inter regem ac ducem facta, ab iis ipsis perspici & componi posse, quidquid de Britannia metro-



2512.

poli controuersia superesset? Licet ergo ex Philippi regis ad Lucium III pontificem epistola nihil confici aliud posset, quam indignari regem ac nolle pati, vt se inuito, inque regni sui detrimentum, Lucius Dolensem ecclesiam in minori Britannia ad metropolitica dignitatem eueheret, sicque subduceret Britannia episcopos Turonensi ecclesia: vnica tamen responsio hac Marca suffecerit, factum id fuisse saeculo XII, cum iam coepissent pontifices Romani dominatum exercere.

Idem reponemus doctissimo viro & magno Gallia suae decori, sed cuius adhuc superstitis nomini parcendum hoc loco existimamus: qui nouum pro pontificibus argumentum ex Claromontano concilio producit. Quamuis enim tum Vrbanus II potestatem faceret omnibus in concilio, *vt si quid canonice possent, priuilegio & auctoritati Romanae contradicerent*: luculenter tamen constat, a tempore Gregorii VII nullam habitam fuisse synodum sinceram ac genuinam, in qua vniuersis ac singulis episcopis liberum sententiae dicendae arbitrium esset, & suffragia omnium cum syngraphis eorundem exscriberentur. Et quid contra Vrbanum valide pugnarent episcopi, quum iam Hildebrandus solis pontificibus arrogasset ius vniendi ac diuidendi episcopatus? quum ille iam induxisset eam iurisiurandi formulam, qua singuli se episcopi obstringunt ad defendendum papatum contra omnes homines. Illam autem vereor, vt pontifices restringi patiantur ad iustas duntaxat causas. Extat capite IV *de iureiurando*, & falso a quibusdam Gregorio M. adscribitur: vt pridem eruditi docuerunt. Taceo iam, in concilio Claromontano hunc eundem Vrbanum non sine iniuria graui ius inuestiturae prin-



principibus abdicasse. Quidni ergo & vniendi ac diuidendi episcopatus facultatem abdicaret, quod titulo probabiliore fieri poterat?

Sed inspiciamus argumenta ipsa pontificis. *Cumque illi, ait, quos caussa grauabat, obstinaciter oblatrarent* (ergo repugnauere aliqui & gratis papa iactat postmodum, se nullo contradicente iura ab se commemorata usurpasse) *qui vero sanum sapiebant, iustitia assentiendo, ratione pacifica acclamarent, dominus Papa imperato silentio, erectus in pedes, coram omni concilio, EX AVCTORITATE APOSTOLICA DECRETIS PONTIFICALIBVS CERTIORATVS EST, LICERE SIBI FACERE EX VNO EPISCOPATV DVOS ET EX DVOBVS VNVM.* Et cetera. Egregium sane fundamentum huius iuris, *decreta pontificalia*, domestica in caussa allegata. Quænam sunt vero illa? Scilicet *dictatus septimus* Hildebrandi pontificis: cuius acta & decreta confirmauit Urbanus II, tam similis huic antecessori suo, vt Henricus IV imperator, Moguntii in conuentu principum atque episcoporum, indignum pontificatu, & sacrilegii reum esse communi consensu pronunciauerit. Alterum Urbani argumentum, quando ad facta decessorum prouocat, eiusdem momenti censendum est.

Peruenimus ad Paschalem secundum pontificem, qui caus. XVI, quæst. I, canone XLVII, sibi potestatem vniendi ac diuidendi asserit: cui & Iuo Carnotensis episcopus subscribere videtur epistola CCXXXVIII. Sed tantum expendere nobis verba Iuonis sufficit, vtrum ex illis quidquam vere pro pontificibus erui possit. Nam Paschalis quidem a decessorum fastu nihil degenerauit, ausus insuper primus omnium pontificis epistolis ac diplo-





plomatibus non imperatorum, sed sui pontificatus annos subscribere. Quamquam nec tanti existimari debet Iuonis auctoritas, ut non censi queat in gratiam papæ aliquid affirmasse. Tornacenses clerici separationem episcopatus sui a Nouiomensi desiderantes, Paschalem ea de re adierant. Is quum videretur nimium fauere Tornacensibus, quo modis omnibus diuisionem dissuasurus, præcipuum a rege argumentum petebat, ne animus illius temere offenderetur. *Regnum ait Francorum præ cæteris regnis sedi apostolica semper fuisse obnoxium, & id circo quantum ad ipsas regias personas, nullam fuisse diuisionem inter regnum & sacerdotium.* Quod vtrum non satis clare arguat, pontificibus interdum nimium indulgisse Francorum reges, alii dispiciant. Illud vero haud dubie contra Marcam est, quod episcopus Carnotensis quum memorasset de Tornacensibus clericis, eos flagitare, *ut apostolica præceptione proprium possint habere episcopum;* simpliciter rogat suadetque ne facere istud papa velit, *subreptionem* ex aduerso si clericis annuat, appellitans, qua regni Francorum pax & summi sacerdotii dissoluatur. Cur quæso ne verbum quidem de dissensu regis facit? cur non placandum adhuc & adsensum eius impetrandum suadet, qui tamen devitando schismati plane sufficiebat?

Video equidem obiici mihi posse disertata Iuonis verba: *Nec in hoc resistimus, quin possit sedes apostolica parochiarum amplitudinem minorare, aut breuitatem dilatare, si utilitas populi Dei ita exigat & nullum inde schisma contingat.* Verum attendat mihi aliquis ad ipsum genium orationis, & videat, an non manifesta *Ἰντροπή* seu concessio, ut rhetores vocant, hic deprehendatur. *Nec*





*in hoc resistimus*, inquit. Id est, non pugnamus, non disputabimus, vtrum pontifici illud fas sit. Poterat igitur adhuc dubitari de pontificis iure: nam aliter longe loquimur, quoties de re certa & explorata sermo est. Subiicit, *si nullum inde scisma contingat*; hoc est, largimur facile, posse sedem apostolicam exercere eiusmodi iura, si regis animus non offendatur, si is perferre ac pati queat æquo animo, neque per ausa talia & *subreptionem* ab ecclesia Romana auertatur. Modestix autem hic impensius studuisse Iuonem nihil adeo mirum est. Quid enim illi se vehementius opponeret, qui capite IV *de Electione*, ne concilia quidem vlla Romanæ ecclesiæ legem præfigere posse, confidenter pronunciat? Sed missum faciamus Carnotensem.

§(II)§

*Bonifacii VIII ausa. Ioannes XXII an regum Gallix consensum postulauerit in sectione episcopatum. Paulus IV quantum sibi permiserit. Thuani iudicium.*

Quum in exitu esset sæculum tertium ac decimum, eo licentiæ progrediebantur pontifices, vt in dispescendis episcopatibus ne de consensu quidem principes compellarent. Et primus id audebat Bonifacius VIII in Gallia, homo tanti alicubi fastus, vt non quidem persuadere terrarum orbi (nemo enim nisi superstitiosus & vacui capitis id crediturus erat) sed edicere ac pro sententia pronunciare sustineret, de necessitate salutis esse, vt Romano pontifici omnis humana creatura subsit. Sed quum Philippus IV, Francorum

N

rex

*G. e. i. Extr.  
com. de Mai  
ob.*





2516.

98      *DISSERTATIO II DE DIVISIONE*  
rex, grauitèr conquereretur de illata sibi iniuria: cogebatur tandem permissis ad regem litteris contendere, ne sineret executionem a regiis ministris impediri. Refert hoc Petrus de Marca ex annalibus Francisci Nicolai Gillii, qui teste Labbeo Parisiis in bibliotheca regia manuscripti habentur. Bonifacii exemplum haud dubie sequutus est Ioannes XXII in dissecando Tolosano episcopatu, indicantibus id litteris, quas ex archiuo regio Parisiensi Baluzius in lucem produxit. Quamuis enim memoriam controuersiae inter Bonifacium atque Philippum Marca recentiore existimet, quam ut Ioannes eandem statim aleam experiretur: quia tamen litterae ipsius ad Philippum V regem non de consilio discindendi episcopatus, sed de re penitus peracta loquuntur, & praeterea adhortantur regem, ne *peruersas* aliorum *persuasiones* audire velit: non obscure hinc apparere videtur, aut conquestum iam regem, aut metu imminentis controuersiae, re iam confecta, litteras ad conciliandum Philippi animum transmissas fuisse. Sane alteris mox litteris ad eundem nihil aliud agit, quam ut simpliciter narret, Albiensem & Claramontensem episcopatus a sese discissos esse, adiicens nomina episcoporum, quos singulis nouis ecclesiis praefecisset. De consensu & approbatione regis ne quidem: quasi satis fuerit, id indicasse tantummodo.

Cæterum quod Lucius tertius papa frustra tentauerat, quum in minore Britannia metropolin nouam excitare, eoque pacto a iurisdictione Turonensis ecclesiae auertere episcopos Britanniae vellet, reclamante acriter Philippo Francorum rege, nec ferente ut dignitas





gnitas imperii sui minueretur : illud superiore saeculo Paullus IV in Belgio effectum dedit, in gratiam Philippi Hispaniarum regis; sed magno nominis Francisci dedecore ac iactura, ut Thuanus libro XXII iudicat. Institutis enim in Belgio pluribus novis sedibus, a Gallica etiam iurisdictione antiquas auellebat, aliquot dioeceses a Remensi archiepiscopo auferens. Quamquam plerique improbam cardinalis Lotharingi, Remorum archiepiscopi, praeviationem interuenisse crediderunt, ut tacitum foedus cum Hispano antea initum conniuentia illa quasi obsignaret: sicuti idem historicus testatur. Qui porro memorat, fauore Hispani regis pontificem ausum fuisse, contra Imperii & Germaniae maiestatem in Coloniensi, Osnabrugensi, Monasteriensi & Paderbornensi dioecesibus idem patrare, partibus ad ditionem Philippi pertinentibus a veteri corpore abscissis atque ad novas in Belgio sedes adiectis. Eadem ratione ac licentia Cameracensi, Ultraiectensi, Tornacensi, Leodicensi & Tarnennensi episcopis multa florentissima eripuit oppida nouisque episcopis subiecit, iure metropolitico in eosdem Mechliniae, Cameraci & Traiecti episcopis concessio. Litterae pontificiae extant apud Miram in Donationibus Belgicis.

Sed tandem aliquando modum ponamus disputationi de iuribus principum & contrariis pontificum Romanorum ausis. Nunc ad praesentem rerum statum conuertamur, atque ex pontificiorum principiis & hypothesebus differamus, prout fecimus in secunda *de Vnionē ecclesiarum*, productis multis ac positis, quae paullo ante, exactius atque ex vero omnia perpendentes, destruximus iterum & vel reiicienda prorsus vel





398.

100 *DISSERTATIO II DE DIVISIONE*  
aliter accipienda docuimus. Quod monendum hoc  
loco duximus, ne ipsi contrarii nobis, & aduersis  
frontibus pugnancia asseruisse vi-  
deamur.



DE





28(1)20

2579

## DECAS COROLLAR.

I.

**P**riuilegium, illud fori quod ex Authent. Habita. C. ne fl. pro patr. scholaribus competit, etiam in caussis criminalibus omnino locum habere, exercitii causa affirmabimus. Fridericus enim Prim. Imperator expresse Magistratui scholastico Iurisdictionem adiudicat: quae expressa & generalis iurisdictionis adiudicatio criminalem quoque continet. vid. Carpz. P. 2. Const. 40. def. 6. Genus namque complectitur omnes suas species, & dispositio generalis tantum operatur quoad omnia, quantum specialis, quoad speciatim enumerata, l. 51. ff. de admin. & peric. tut. l. 29. de legat. 3. Accedit etiam quod beneficia principum respectu eorum quibus indulta sunt, plenissime sint interpretanda. l. penult. ff. de Constit. Princ. cap. 6. X. de donat. Verba vero: Si litem eius quispiam super aliquo negotio mouere noluerit: quamuis causas ciuiles tantum & pecuniarias, non etiam criminales inferre videantur, l. 36. de V. S. l. 1. §. 2. ff. de test. aequae atque uerba actionis, dd. ll. Attamen certum est hisce nominibus etiam criminales causas venire, secundum ea, quae habet Cuiac. l. 9. obseru. 21. vid. Hunn. de iurisd. polit. part. 1. c. 4. num. 13. praeter ceteris uero, Limna. de Iur. Publ. lib. 8. c. 9. num. 33. & seqq.

II.

Catechumenus, qui atrox aliquod commisit crimen, e. g. homicidium, adulterium, &c. propterea quod baptizatur, non a ciuili poena liberatur, quamuis a criminis reatu per baptismum liberetur.

III.

Multa beneficia ecclesiastica Pontifici Romanis à Pipino, Carol. M. Ottobon. I. & aliis concessa fuisse, non negare possumus. Verum Donatio Constantini M. qua sedes Romana totum occidentale imperium sibi tribuit, merum & crassum est figmentum.

IV.

Princeps uel summae potestatis territorialis omni iure supremum circa res Ecclesiasticas obtinet imperium. Verum, ad diuersum religionis cultum transiens, subditos ad eundem amplectendum cogere non potest

V. Qu.



2520.

DECAS COROLLAR.

V.

*Quer. An in cessione bonorum ita omnia bona creditoribus sunt relinquenda, ut nec ad victum quotidianum quicquam debitori remaneat? Et complures quidem Doctorum decidunt, cedenti bonis nihil relinquendum esse, ne unum quidem denarium, sed esse excutiendum usque ad peram & sacculum, & usque ad subligamentum. Accurs. in l. ult. ff. qua in fraud. credit. & in l. pen. ff. de cess. bon. Hottom. quaest. illustr. 26. circa fin. Wesenb. in paratit. ff. de cession. bon. n. 4. Verum contrariam sententiam ceu equiorem & humaniorem amplectendam esse affirm.*

VI.

*Iusiurandum latroni datum, si conscientiarum tranquillitati consulere velimus, omnino seruandum esse affirm.*

VII.

*Qu. Vtrum studiosus contra Iuramentum Academicum peccans, aequae ac ciuis contra praestitum homagium aliquid committens fiat periurus ac puniendus sit.*

VIII.

*Qu. An Nepos defuncto patre illegitimo per aui subsequens matrimonium legitimetur? Affirm. conclud. cum Magnif. Dn. Struv.*

IX.

*Pupillus & pupilla sponsalia contrahentes, tutorum, qui vice parentum dicuntur esse, auctoritatem in contrahendo adhibere debent.*

X.

*An dolo uti licet in bello? Distingv. Vid. Grot.*

F I N I S.













Juca, Diss., 1680 N-2

ULB Halle

3

005 360 684



TA → OC

WDA











12009

N<sup>o</sup> 33

1680, 41

2467

12

# DIVISIONE ECCLESIAE

ET

# BENEFICIORVM

DISSERTATIONEM SECUNDAM

*Diuinis auspiciis & permissu Superiorum*

P R A E S I D E

I. PHILIPPO SLEVOGTIO

D. Illustr. Regim. Ienens. Aduocato  
Ordinario,  
*publice defendet*

CHRISTIAN FRIDERIC LAVHN,  
N V M B V R G.

*Ad d. Augusti clc lcc LXXX.*



I E N A E

Excudebat Io. NISIUS.

28

8

